Az 2881

Ai 2002

UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT

90000003186

Digitized by Google

M. VANHOUCK FI:
BOEKBINDER
Gasmeterlaan, 45, GENT

Digitized by Google

ANTIQUITATES ANTIOCHENAE.

Az 2881

COMMENTATIONES DUAE

CAR. ODOFR. MÜLLERI,

SOCIET. SCIENT. GOTTINGENSIS, SOCIET. ANTIQUARIORUM LONDINENSIS,
SOCIET. SCIENT. MONACENSIS, SOCIET. LITERARIAE BRITANNIAE,
SOCIET. HISTORICO-THEOLOGICAE LIPSIENSIS, SOCIET. ARTIFICUM VRATISLAVIENSIS SOCII,
CUM ACADEMIA SCIENT. BEROLINENSI ET INSTITUTO REGIO FRANCO-GALLORUM,
CLASS. MORAL. ET POLIT., COMMERCIO EPISTOL. CONIUNCTI, INSTITUTI ARCHAEOL.
INTER DIRECTORES HONOR. ADSCITI.

CUM TAB. II.

GOTTINGAE,

E LIBRARIA DIETERICHIANA.

MDCCCXXXIX.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX
LOCORUM ET MONIMENTORUM ANTIOCHENSIUM, DE QUIBUS IN HIS DISSERTATIONIBUS DICTUM EST.

**

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

RECENSUS TABULARUM.

Tab. I. Ichnographia Antiochiae urbis, in qua antiquae urbis ambitus et aedificia et medii aevi moenia diverso colore distincta sunt. Adiecta est finitima Syriae pars in compendium redacta, et Palmyrae magna platea in comparationem adducta.

Tab. II. Monimenta Antiochena.

Medium collocatum est signum τῆς Τύχης Ἀντιοχείας, e Museo Vaticano. Visconti *Museo Pio-Clementino* T. III. tb. 46. Huic adiecta sunt:

a. Numus aereus Antiochenorum, cuius in antica Fortunae Antiochiae caput, in postica Arietis sidus est, cum nota anni Antioch. 194. Pellerin. *Recueil des médailles de peuples* T. II. tb. 76, 8.

b. Numus aereus Antiochenorum, cuius in antica est Iovis Olympii caput, in postica Fortunae Antioch. signum palmam tenens. Signatus est a. Antioch. 25., Quinctilio Vario Syriae praeside. Museum Sanclementinum tb. 6, 12.

c. Numi aerei Antiochenorum (Ἀντιοχέων μητροπόλεως κολωνίας), Severo Alexandro principe percussi postica. Inest Fortunae Antioch. signum, spicas tenens, et supra eam Arietis sidus. Vaillant. Numismata Imper. in coloniis T. II. p. 161.

d. Numus argenteus, Tigranis regis Armeniae capite et Fortunae Antioch. palmam tenentis signo insignitus. Ex Mionnetii numorum ectypis adumbratus.

e. Numi aerei Antiochenorum Traiano Decio principe cusi postica forma: Fortunae Antioch. signum Tetracionio circumdatum. Vaillant. Numi Imp. in col. T. II. p. 278.

f. Numi aerei Antiochenorum, Severo Alexandro imperatore cusi, postica forma: Fortuna Antioch. coronata ab Imperatore, adstante Fortuna rerum omnium gubernatrice. Vaillant. Numi Imp. in col. T. II. p. 162.

g. Numus argenteus Demetrii I, Syriae regis. In antica regis caput est: in postica signum aliquod vel urbis vel terrae, cornu copiae brevemque scipionem tenens, solio insidens, quod Tritonidis simulacro sustinetur. Visconti *Iconographie Grecque* pl. 46. n. 26.

Digitized by Google

h. Numi aerei Antiochenorum, principe Philippo maiore cusus, postica forma, in qua Apollinis signum Daphnense conspicitur. Vaillant. Numi Imp. in col. T. II. p. 226.

i. Numus argenteus Antiochi II, Syriae regis. In antica regis caput est, in postica Apollo Omphalo, qui infulis in retis modum involutus est, insidens. Ex Mionnetii numorum ectypis.

k. Numus argenteus Antiochi IV (θεοῦ Ἐπιφανοῦς). In antica regis caput: in postica Iovis Olympii signum. Museum Sauclementinum tb. 3, 46.

l. Numus aereus eodem rege signatus. In antica est regis caput diademate cinctum et radiatum: in postica Iuppiter athletis ad ludicra certamina invitatis coronam offerens, addito tripode eorundem ludorum praemio: qui quod Daphnae celebrabantur, adscriptus est titulus Ἀντιοχέων τῶν πρὸς Δάφνῃ. Pellerin. *Recueil des médailles de peuples* T. II. tb. 76, 16.

m. Numus aureus Seleuci Nicatoris, cuius in antica regis caput bovis cornibus ornatum est, in postica equi caput cornutum. Visconti *Iconographie Grecque* pl. 46, 1. Cf. Van Damme Numi regum tb. 20, 3.

n. Numus aereus Antiochenorum, cuius imagines, Minervae caput et noctua, ab Atheniensibus sumptae sunt. Eckhel. Numi vet. anecd. tb. 15, 4.

Digitized by Google

DE
ANTIQUITATIBUS ANTIOCHENIS.

COMMENTATIO PRIOR

QUA ANTIOCHIAE AD ORONTEM SUB GRAECIS REGIBUS QUAE FUERIT FIGURA ET QUAE PRAECIPUA ORNAMENTA DESCRIBITUR.

AB AUCTORE

CAR. ODOFR. MÜLLER

RECITATA IN CONSESSU SOC. REG. D. XIV. IUNII A. MDCCCXXXIV.

1. Quicunque artium, imprimis architecturae et plastices, apud antiquos populos progressum et mutationes tanquam continuum unius vitae decursum mente comprehendere, et unicuique eius spatio suam dignitatem vindicare studet: is non poterit quin vehementer aegre ferat, quod tam tenuis eorum temporum memoria superest, quae post Alexandrum et primos eius successores usque ad aetatem summae Romanorum potentiae pertingunt. Nam quem cursum in liberis Graeciae florentis civitatibus artes tenuerint, vel monimentis in ipsis locis, unde artes natae sunt, durantibus, vel scriptorum diserto testimonio mediocriter edocti sumus; atque Romana magnificentia et in urbe et in orbe terrarum oculos nostros ferit: sed Macedonum splendoris nulla fere solo, quo regnavere, impressa vestigia, et in scriptoribus non quantam optaveris superest mentio: quanquam nullo fortasse tempore ex memoria hominum maior erat in luxu elegantia et in fastu decor, Romanisque fortasse ob eam solam caussam quaedam inventa tribuimus, quod Macedonum aetatis, quae illi imitati sunt, magnifica opera e terris evanuerunt. His de caussis quoniam omnia tentanda sunt, ut vacuam hanc historiae partem expleamus: iuvabit fortasse imaginem regalis

Digitized by Google

Macedonum in Syria urbis, τῆς καλῆς Ἀντιοχείας [1]), tertiae postea in Romanorum οἰκουμένῃ urbis [2]), quantum fieri potest restituere et ante oculos collocare. Et profecto praeter Athenas et Romam et Byzantium vix ulla antiquitatis civitas est, cuius de situ, descriptione, publicis privatisque aedificiis plura memorata extent: quae quanquam maximam partem ad Romana tempora pertinent, et haec tamen faciunt ad antiquiora tempora et Seleucidarum monimenta illustranda. Nam id quidem cum aliis argumentis constare tum hac ipsa disputatione effectum iri spero, a Seleucidarum aevo et Graecorum ingeniis, tanquam primario fonte, repetendum esse quicquid monimentorum arte insignius et insolita quadam forma conspicuum Syriae vicinaeque Asiae solum protulit, atque illam delubrorum et totorum oppidorum magnificentiam, quae Romanis imperantibus et maxime Antoninorum felicissimo saeculo per has terras effloruit, non tum primum recens sparsam esse sed ex radicibus antiquae stirpis, invitante temporum clementia, repullulasse.

2. Ut primum locorum situm dispiciamus, qua in re utimur antiquorum auctoritate, cruciatarum expeditionum scriptoribus, geographis

1) Ἀντ. ἡ καλή, Athenaeus I. p. 20 b. Ἀντ. εὐφυεστάτη πόλις, Lucianus de salt. 76. ἡ καλὴ καὶ μεγάλη, Libanius pro rhetor. p. 206 R. *Orientis pulcrum apicem* dicit Ammian. Marcell. XXII, 9, 14.

2) Tertiam οἰκουμένης urbem et magnitudine et ceteris opibus dicit Iosephus Bell. Iud. III, 2, 4. Nam prima Roma, secunda est Alexandria. Tertiam urbem, post Byzantium et Romam puto, et pulcritudine aedificiorum et incolarum multitudine dicit (de anno Chr. 968 scribens) Leo Diac. Hist. IV, 11. Ausonius Clar. Urb. II. incertus haeret, Antiochiaene an Alexandriae, aemulis urbibus, tertius locus concedendus sit. Item Libanius ad Theodosium ἐπὶ ταῖς διαλλαγαῖς p. 673. ed. Reiske duas urbes maiores esse confitetur, Romam et Byzantium puta, tres alias pares, Alexandriam, Carthaginem, Mediolanum, ut videtur. Hegesippus Bell. Iud. IV, 5. Antiochiam tertiam in orbe urbem habet, antequam Constantinopolis imperii sedes fieret. Tertiam Orientis qui dicit, Strabo XVI. p. 750., eam Alexandria et Seleucia ad Tigrim paulo minorem existimat. Sed Orientis metropolin dicit Zosimus I, 27. p. 27. ed. Bonn. Orientis caput Io. Chrysost. ad Antioch. Homil. II, 2. T. II. p. 23. ed. Montef. et disertissime Procop. de B. Pers. I, 17. p. 87. ed. Bonn. πλούτῳ τε

Digitized by Google

orientalibus [1]), denique recentioris aetatis peregrinatoribus [2]): Antiochia urbs, quae nunc *Antakié* dicitur, sita est ad Orontem fluvium, Syriae

---

καὶ μεγέθει καὶ πολυανθρωπίᾳ πόλεων πρώτην ἁπασῶν τῶν ἐν τοῖς ἑῴοις Ῥωμαίων οὖσαν. Cf. II, 9. p. 189. histor. arc. 18. p. 111.

1) Primum locum obtinet *Ibn-Haukal* (circa a. Chr. 920. secundum Sacy, 970. Uylenbroek), quem in multis sequitur *Abulfeda*, Tabul. Syriae p. 115. ed. Koehler. Diversus ab illo is Ibn-Haukal, quem edidit Guilelmus Ousely, qui perpauca de Antiochia habet p. 44. *Hadschi-Chalifa* libro geographico, qui Mohammede IV. regnante scriptus dicitur, *Gihân-Numâ* (Speculum mundi) T. II. p. 261. ed. Norberg. His libris multi ex peregrinatoribus studiose usi sunt.

2) Adhibui hos: Cotovico Itinerarium Hierosolymitanum et Syriacum, Antverp. 1619. p. 497 sqq. Dapper *Naukeurige Beschryving van gantsche Syrie* 1677. (*Genaue u. gründliche Beschreibung des ganzen Syrien* 1681.) Troilo *Oriental. Reisebeschreibung.* (Lips. 1717.) p. 623. De la Roque *Voyage de Syrie* (1723.) T. I. p. 199 sqq. (qui quidem multa narrat aliis non comperta). Pococke *Description of the East* (1745.) V. II. P. I. p. 186. *Travels in Africa* p. 390. De la Vallé *Voyage* (1745.) T. VIII. p. 128 sq. Otter *Voyage en Turquie* (1748.) Tom. I. p. 79 sqq. (hic totus pendet a libro Hadschi-Chalifae). Alex. Drummond *Travels, Lett.* XI. p. 221. Ch. Parry *View of the Levant*, p. 142. Volney *Voyage en Syrie et en Egypte* (ed. 3. an. VII.) T. II. p. 53. (cui libro pauca accepta referuntur). Corancez *Itineraire d'une partie peu connue de l'Asie mineure* (1816.) c. 7. p. 116. Kinneir *Journey through Asia minor* etc. (1818.) p. 145 sq. Buckingham *Travels among the Arabian tribes* (1825.) p. 554 sq. O. F. v. Richter *Wallfahrten im Morgenlande* p. 281. Poujoulat in libro utilissimo *Correspondance d'Orient par M. Michaud et M. Poujoulat* T. VII. p. 104 sqq. Nuper demum prodiit praestantissimi viri, Carsteni Niebuhrii, Itinerarii orientalis T. III., ubi p. 15. de Antiochia paucis, sed perspicue et accurate agit. Pictoris Francogallici Cassas magnificum opus, quod ad finem perductum non esse dolemus: *Voyage pittoresque de la Syrie, de la Phoenicie, de la Palaestine et de la basse Aegypte, à Paris an VII.* tum imaginem universae Urbis qualis nunc est praebet (V. I. tb. 3.), tum monimenta quaedam tabulis descripta. Tabula geographica Syriae quam edidit de l'Isle Antiochiae situm perperam designat: rectiora dant tabulae descriptae a geographis Francogallicis d'Anville, de Paultre, Lapie, etiam Arrowsmithiana, et quae magnis quidem vitiis scatet, sed etiam multam affert utilitatem, ea quae inscripta est: *Carte d'une portion du Scham, du Djezirê et de l'Iraq-Arabi, dressée*

Digitized by Google

maximum, qui ex convallibus inter Libanum et Antilibanum montem, quae Cava Syriae proprie dicebantur [3]), descendit, et postquam per maximam partem cursum a meridie ad Aquilonem versus tenuit, repercussus quodammodo objacentibus iugis, quae ab arduis Amani montis verticibus descendunt, subito flexu ad Africum se convertit. Propter haec et cursum vicinis fluminibus contrarium ab orientalibus gentibus fluvius inversus et refractarius dicitur [4]). Hac in versura Orontes fluvium recipit ex lacu Antiocheno, qui ambitu triginta sex millium passuum se extendens [5])

---

de 1811 à 1818 par J. B. L. J. Rousseau, *Consul général de France à Baghdad*, quam in publicum edidit Societas Geographica, cum correctiore litorum descriptione, cuius maximam partem auctor est de Gauttier, et commentatione Geographi Barbié du Bocage, *Recueil de Voyages et de Mémoires* T. II. p. 194. Conferendae etiam eae, quae operibus Volneyi, Felicis de Beaujour, Burckhardi (*Travels in Syria*), Buckinghamii annexae sunt. Iac. Rennellius in opere postumo: *A Treatise on the comparative Geography of Western Asia*, cp. 1., Antiochiae viciniam primis tantum lineis adumbrat; nec inutile tamen fuit, tabulas ei operi adiectas, X. XI. sqq., comparare. Diligentissime nuper universae Syriae geographiam tractavit et eximia tabula illustravit Berghaus Asiae fasc. III. Ipsam Urbem paucis lineis adumbratam praestat de la Vallé, ad p. 132. Pococke, ad p. 189. Niebuhr. T. III. tb. 2. Urbis situm et moenia, qualia Cruciatorum aetate fuerint, descripsit Michaud „*Histoire des croisades*" (1812.), *Plan d'Antioche* (*échelle d'un cent millième*) cum explicatione T. I. p. 567. Auctoribus utitur Paultrio, Pocockio, Alexandro Drummond. Hanc tabulam in suum de Hohenstaufia gente opus transtulit Frid. de Raumer: eadem paucis additis operi: *Correspond. d'Orient*, adiecta est.

3) Sic dixi, quia inferioribus temporibus, post Antoninos, omnis septentrioni propior Syria, cuius caput Antiochia, Coele dicebatur. V. Papinianus in Digestis XLII, 5 (de rebus auct. iud.), 37. Eunapius V. Sophist. in Libanio p. 130. Norisii Ann. Syromacedonum diss. III. c. 1. p. 148. Antiquiores Seleucidem, in qua Antiochia est, distinguunt a Coele.

4) *El Aassy, le rebelle; el Macloub, le renversé.* Alii nunc *Farfar* dici Orontem memorant: ita certe appellarunt eum Cruciati milites. V. ne ad antiquiores recurram, Ritteri egregius liber: *Erdkunde* T. II. p. 448. (1818.)

5) Kinneir p. 153. lacui XXXVI mill. Angl. ambitum tribuit. Corancez IV. leucas longum, II vel III latum dicit, p. 113. Jakut, Geographus Arabicus,

Digitized by Google

innumeris rivis et tribus maxime fluminibus alitur [6]), unoque meatu, qui ab antiquis Arceuthos sive Iaphthas, nunc *el Aswad* dicitur, in Orontem effunditur [7]): qui locus a moenibus Antiochiae uno milliari distare traditur [8]). Lacus autem, quem antiqui Antiocheni τὴν λίμνην κατ' ἐξοχὴν appellabant, recentiores album lacum dicunt [9]), variam urbi commoditatem afferebat, quippe qui ligna et victum ex agris et silvis vicinis per Arceuthum et Orontem in urbem mittebat et piscium ingenti copia plebem urbanam pascebat, quando lautioribus quidem marini pisces destinabantur [10]).

---

apud Koehlerum ad Abulfedam p. 162., X mill. longum, VII. latum scribit. Huius lacus inter antiquos pauci meminerunt; sed fuisse tamen eum cum Antigonia conderetur, intelligitur ex iis, quae §. 8. afferam. Incredibilis igitur est opinio Rennellii *Illustrations of the history of the exped. of Cyrus ch.* 4. p. 65., et Ritteri nostri p. 456., post Strabonis et Ptolemaei tempora eum lacum terrae motibus et exundante Oronte ortum esse.

6) Tres fluvii memorantur ab Abulfeda p. 117. 152. (quem secuntur Hadschi-Chalifa p. 261. Otter. p. 87. alii): *Bagra* (qui aliis est *Iaghra*), *Aswad* et *Ifrin* (aliis Afrin). Hunc ab oriente, alterum ab occidente, primum a septentrione defluere scribit Dapperus p. 124. Qui dicitur *Aswad*, maximus eorum esse videtur, hinc eodem nomine fluvius dicitur, quo lacus in Orontem effunditur.

7) Utrumque nomen praebet Malalas Chron. VIII. p. 199. ed. Bonn. (p. 84. Ven. p. 254. Oxon.), nisi quod pro Arceutho Archeutham dicit. Sed nomen Ἄρκευθος habet Strabo XVI. p. 751. Fluvii, quos Strabo l. l. cum Arceutho coniungit, Labotas et Oenoparas, in tabula cum hac commentatione iuncta ex incerta coniectura designati sunt. Alterum illum rivum, quo lacus Antiochenus cum Oronte et palude interiecta iungitur, unius I. B. Rousseau tabula indicavit.

8) Id magno consensu testantur Willermus Tyrius Hist. rerum in partibus transmarinis gestarum (v. Bongarsii Gesta Dei per Francos T. II.) IV, 10. Hadschi-Chalifa p. 262. Otterus p. 88. Lacus ipse ab Antiochia distare dicitur III mille passuum, Jakut ap. Koehlerum p. 162. Haec si vera sunt, non recte inter lacum et Orontem I milliare spatii interesse dicit Willermus VI, 6. Atque in tabulis geographicis spatium multo minus designatur.

9) *Lac blanc*, *Aggi degniz*, Abulfeda p. 160. *Bahr-el-Abbiad* (mer blanche), Poujoulat, *Correspondance d'Orient* T. VII. p. 113. *Il Bohairé*, Rousseau, qui in eo lacu insulam antiquitatis rudera continere significat.

10) Haec sumpta ex Libanii Antiochico p. 360. 361. Reiske.

Digitized by Google

maximum, qui ex convallibus inter Libanum et Antilibanum montem, quae Cava Syriae proprie dicebantur 3), descendit, et postquam per maximam partem cursum a meridie ad Aquilonem versus tenuit, repercussus quodammodo objacentibus iugis, quae ab arduis Amani montis verticibus descendunt, subito flexu ad Africum se convertit. Propter haec et cursum vicinis fluminibus contrarium ab orientalibus gentibus fluvius inversus et refractarius dicitur 4). Hac in versura Orontes fluvium recipit ex lacu Antiocheno, qui ambitu triginta sex millium passuum se extendens 5)

---

de 1811 *à* 1818 *par* J. B. L. J. Rousseau, *Consul général de France à Baghdad*, quam in publicum edidit Societas Geographica, cum correctiore litorum descriptione, cuius maximam partem auctor est de Gauttier, et commentatione Geographi Barbié du Bocage, *Recueil de Voyages et de Mémoires* T. II. p. 194. Conferendae etiam eae, quae operibus Volneyi, Felicis de Beaujour, Burckhardi (*Travels in Syria*), Buckinghamii annexae sunt. Iac. Rennellius in opere postumo: *A Treatise on the comparative Geography of Western Asia*, cp. 1., Antiochiae viciniam primis tantum lineis adumbrat; nec inutile tamen fuit, tabulas ei operi adiectas, X. XI. sqq., comparare. Diligentissime nuper universae Syriae geographiam tractavit et eximia tabula illustravit Berghaus Asiae fasc. III. Ipsam Urbem paucis lineis adumbratam praestat de la Vallé, ad p. 132. Pococke, ad p. 189. Niebuhr. T. III. tb. 2. Urbis situm et moenia, qualia Cruciatorum aetate fuerint, descripsit Michaud „*Histoire des croisades*" (1812.), *Plan d'Antioche* (*échelle d'un cent millième*) cum explicatione T. I. p. 567. Auctoribus utitur Paultrio, Pocockio, Alexandro Drummond. Hanc tabulam in suum de Hohenstaufia gente opus transtulit Frid. de Raumer: eadem paucis additis operi: *Correspond. d'Orient*, adiecta est.

3) Sic dixi, quia inferioribus temporibus, post Antoninos, omnis septentrioni propior Syria, cuius caput Antiochia, Coele dicebatur. V. Papinianus in Digestis XLII, 5 (de rebus auct. iud.), 37. Eunapius V. Sophist. in Libanio p. 130. Norisii Ann. Syromacedonum diss. III. c. 1. p. 148. Antiquiores Seleucidem, in qua Antiochia est, distinguunt a Coele.

4) *El Aassy*, *le rebelle*; *el Macloub*, *le renversé*. Alii nunc *Farfar* dici Orontem memorant: ita certe appellarunt eum Cruciati milites. V. ne ad antiquiores recurram, Ritteri egregius liber: *Erdkunde* T. II. p. 448. (1818.)

5) Kinneir p. 153. lacui XXXVI mill. Angl. ambitum tribuit. Corancez IV. leucas longum, II vel III latum dicit, p. 113. Jakut, Geographus Arabicus,

Digitized by Google

innumeris rivis et tribus maxime fluminibus alitur [6]), unoque meatu, qui ab antiquis Arceuthos sive Iaphthas, nunc *el Aswad* dicitur, in Orontem effunditur [7]): qui locus a moenibus Antiochiae uno milliari distare traditur [8]). Lacus autem, quem antiqui Antiocheni τὴν λίμνην κατ᾽ ἐξοχὴν appellabant, recentiores album lacum dicunt [9]), variam urbi commoditatem afferebat, quippe qui ligna et victum ex agris et silvis vicinis per Arceuthum et Orontem in urbem mittebat et piscium ingenti copia plebem urbanam pascebat, quando lautioribus quidem marini pisces destinabantur [10]).

---

apud Koehlerum ad Abulfedam p. 162., X mill. longum, VII. latum scribit. Huius lacus inter antiquos pauci meminerunt; sed fuisse tamen eum cum Antigonia conderetur, intelligitur ex iis, quae §. 8. afferam. Incredibilis igitur est opinio Rennellii *Illustrations of the history of the exped. of Cyrus ch.* 4. p. 65., et Ritteri nostri p. 456., post Strabonis et Ptolemaei tempora eum lacum terrae motibus et exundante Oronte ortum esse.

6) Tres fluvii memorantur ab Abulfeda p. 117. 152. (quem secuntur Hadschi-Chalifa p. 261. Otter. p. 87. alii): *Bagra* (qui aliis est *Iaghra*), *Aswad* et *Ifrin* (aliis Afrin). Hunc ab oriente, alterum ab occidente, primum a septentrione defluere scribit Dapperus p. 124. Qui dicitur *Aswad*, maximus eorum esse videtur, hinc eodem nomine fluvius dicitur, quo lacus in Orontem effunditur.

7) Utrumque nomen praebet Malalas Chron. VIII. p. 199. ed. Bonn. (p. 84. Ven. p. 254. Oxon.), nisi quod pro Arceutho Archeutham dicit. Sed nomen Ἄρκευθος habet Strabo XVI. p. 751. Fluvii, quos Strabo l. l. cum Arceutho coniungit, Labotas et Oenoparas, in tabula cum hac commentatione iuncta ex incerta coniectura designati sunt. Alterum illum rivum, quo lacus Antiochenus cum Oronte et palude interiecta iungitur, unius I. B. Rousseau tabula indicavit.

8) Id magno consensu testantur Willermus Tyrius Hist. rerum in partibus transmarinis gestarum (v. Bongarsii Gesta Dei per Francos T. II.) IV, 10. Hadschi-Chalifa p. 262. Otterus p. 88. Lacus ipse ab Antiochia distare dicitur III mille passuum, Jakut ap. Koehlerum p. 162. Haec si vera sunt, non recte inter lacum et Orontem I milliare spatii interesse dicit Willermus VI, 8. Atque in tabulis geographicis spatium multo minus designatur.

9) *Lac blanc*, *Aggi degniz*, Abulfeda p. 160. *Bahr-el-Abbiad* (mer blanche), Poujoulat, *Correspondance d'Orient* T. VII. p. 113. *Il Bohairé*, Rousseau, qui in eo lacu insulam antiquitatis rudera continere significat.

10) Haec sumpta ex Libanii Antiochico p. 360. 361. Reiske.

Digitized by Google

Hoc igitur flumine recepto Orontes alveo plus quam centum pedes lato 11) planitiem secat fertilem et amoenam, quae τὸ τῶν Ἀντιοχέων πεδίον dicitur. Pertenditur ea septentrionem versus ad iuga usque ab Amano monte proiecta 12), Coryphaeum montem, qui Antiochensium et Seleucenorum agris imminens in Cyprium mare longe excurrit 13), et iuncta huic cacumina, quae e regione Antiochiae attolluntur, ab antiquis Melantius mons 14), a Phoca monacho Maurus mons 15), a scriptoribus cruciatarum expeditionum, vocabulo in Latinam linguam converso, dicta *Montana nigra* 16). Macedones domesticorum locorum situm cupide ubique

11) Niebuhrius T. III. p. 16. Orontem, qua Antiochiae muros tangit, CXXV pedes latum esse affirmat.

12) Strabo XVI. p. 751. In proiectione Amani montis Pagrae castellum situm erat, supra campum Antiochenum. Fertilitatem huius campi Dionys. Per. 921. et ex recentioribus multi praedicant.

13) Polybius V, 59.

14) Γαῖαν σειομένην, αὐλῶνος Σιλπῆς τε ὄρους ἄντικρυς Μελάντιον τοὔνομα ἔχον ὄρος, Oraculum ap. Malal. p. 136. B. p. 57. b. Ven. Idem p. 142. (59) Melantium etiam Amanum dictum esse tradit. Proximum ad hunc montem fuisse puto Melanem fluvium, memoratum a Nicephoro Antiocheno, Vita Simeon. iun., Act. Sanct. Maii m. T. V. p. 334. 380.: ex quibus locis intelligitur eum medium fuisse inter Amanum et Urbem et montem Mirabilem. Aut multum fallor: aut hic fluvius etiam nunc dicitur a Turcis niger fluvius. Nam peregrinator Franco-Gallus, Poujoulat *Correspondance d'Orient* T. VII. p. 199., ubi omnes fluvios et rivulos enumerat, qui inter Antiochiam et Suetium e montibus septentrionem versus sitis in Orontem decurrunt, sextum describit his verbis: *la sixième est appelée par les Arabes Nahr-Sguir (la petite rivière) et par les Turcs, Hara-Chai (la rivière noire); les pierres et les cailloux du Hara-Chai sont d'un bleu foncé et donnent à ces eaux une teinte noire.* Videntur hi calculi a Melantio monte torrentis vi delati esse. Malalas p. 141 (59) duos Melantos fluvios a Melantio monte decurrere narrat.

15) V. Phocas de locis Antiochiam inter et Hierosolymam, in Leonis Allatii Symmictis, unde hic liber translatus est in Byzantios historicos Venetiae editos, post Genesium et Malalam, p. 2. Bollandi Acta Sanctor. Maii m. T. V. p. 230 sq.

16) Willermus IV, 10. Mar. Sanuti libro secret. fidel. Crucis (apud Bongarsium T. II.) III, 5, 4. *Cara-Aman* dicitur idem mons apud Dapperum p. 125. *Djebel-Mouça* Rousseau. V. etiam Poujoulat p. 200.

Digitized by Google

agnoscentes hanc regionem saltuosam, quae a Seleucia inde ad Issicas Syriae pylas usque pertinet, Pieriam dixerunt, Tempe, puto, cum pylis hisce, sinum Issicum cum Thermaico, Amanica juga comparantes cum Olympo patrio [17]).

3. Sed ex altera parte, versus notum, vallis Orontis arctius circumscribitur collibus et saxis proiectis a monte Casio (Orontem pro Casio dicunt cruciatarum expeditionum narratores [1])), qui praeter Orontis fluvii sinistram ripam a mari inde, ubi in arduo cacumine (*Dschebel-Ôkrab*) [2]) Iovis Casii delubrum situm erat, usque ad versuram illam Orontis protenditur [3]), eamque regionem Casiotidis nomine signat [4]). Hic mons cum aliis locis in praecipites vertices attollitur, velut in rupem illam Simeonis Stylitae minoris monasterio et columna, vivo saxo incisis, insignem, quae ab hoc thaumaturgo Mirabilis mons appellata est [5]) (hic ab Antiochia occidentem

---

17) Sic Macedones Arbelitidem ad Tigrin Mygdoniam cognominaverunt *a similitudine* (Plin. N. H. VI, 13. 16.); et Apamea Syriae Pella dicta est non propter eas solas caussas, quas Strabo XVI. p. 752. affert, sed quod magnus lacus aderat lateque diffusae paludes eam circumfluebant, plane ut Pellam Macedonicam (quapropter etiam fluvius has paludes permeans Axius dictus, a Macedonico, v. Norisius Ann. Syromaced. diss. II. c. 1. p. 86.). Periude etiam Edessam Osroenes ab violento Scirti fluvii cursu, qui flumen Edessam Macedoniae praeterfluens referre videbatur, dictum esse, Stephano Byzantio teste adhibito, evicit Norisius diss. II. c. 3. p. 107. Sic ex Asiae locis coniicere licebit Macedonicorum oppidorum situm.

1) Willermus IV, 10. (ex Hieronymo, ut ait). Mar. Sanuti III, 5, 4.

2) Altitudinem huius cacuminis Angli nuper trigonometricis et barometricis rationibus emensi sunt: quibus compertum est, eum 5318 pedes Anglicos super maris aequor attolli. V. libellus menstr.: *Journal of the Asiat. Society of Bengal.* 1836. *Oct.* (N. LVIII.) p. 676. *Report of the Euphrates Expedition.*

3) Orontes imos pedes Cassii montis illius celsi praeterfmeare dicitur ab Ammiano Marc. XIV, 8, 10.

4) V. Libanius Antioch. p. 289. R. Fabula, quam Malalas p. 202. (85 Ven.) refert de Amyce Casi uxore, spectat ad campum Amyces, qui ad Orontem C stadiis ab Antiochia dissitus (Polyb. V, 59. Malalas l. l.) pars Casiotidis fuisse videtur.

5) Montem Mirabilem, scribit Phocas p. 2., inter urbem et mare esse, ad Oron-

Digitized by Google

versus propius ad mare quaerendus erit): tum praecipue ea regione, ubi ipsa Antiochia condita est, saxosus est et praecipiti escensu arduus, profundisque voraginibus velut diruptus. Erigitur supra Antiochiam duobus cacuminibus, altero versus orientem et septentrionem lenius surgente, ut vineas et agrorum culturam admittat; altero ad occidentem et meridiem verso altiore et magis abrupto. Immani hic praecipitio orientem et septentrionem versus cingitur, ea parte plane inaccessus; ex altera, qua humiliori illi monti imminet, uno calle ex urbe adscenditur 6). Silpium montem appellat Malalas 7), Orocassiadem Procopius 8), qui et alterum montem nomine deterioris Graecitatis Σταυρὶν i. e. Crucem appellat. Illi, quem Silpium diximus, septem millium passuum altitudinem tribuit Abulfeda. Intersecat haec cacumina profunda vorago 9), qua torrens, magno per hiemem auctu saepe damnosus, profluens Orontem petit 10). Phyrminum et Parmenium appellat Malalas, diversa nominis forma, illa magis barbara, hac Graeca specie unum rivum signans 11). Neque quae Procopius

---

tem fluvium, inter Scopulum i. e. Silpium montem (v. infra n. 8.) et Caucasum i. e. Casium, neque non Roso oppido vicinum. Cf. Nicephorus, Vita Simeonis iun., in Actis Sanct. Maii m. T. V. p. 336., quo teste hic mons ei Urbis portae imminebat quae Seleuciam spectabat, p. 361., et III. m. p. dissitus erat a vico Tiberino, p. 412. 413., neque longe distabat a Daphne, p. 413. — De Agriis saltu inter Antiochiam et Daphnen dicam diss. II. §. 9.

6) Praeter alios utor in hac re Willermo VI, 1. Corancez p. 119.

7) V. Malalas p. 29. (11 Ven.) et saepius, etiam Eustathius ad Dionys. Per. 918. et Suidas s. v.

8) Procopius de bello Persico II, 6. de aedif. Iustiniani II, 10. Scopulum hunc montem, non inepto nomine, dicere videtur Phocas l. l.

9) *un ravin profond*, Corancez p. 117.

10) V. Mar. Sanuti III, 5, 4. Quaresmii Terra Sancta VII, 17. p. 914. Otter. I. p. 82. Corancez p. 118. Kinneir p. 153. Niebuhr p. 17. Poujoulat p. 114. Rivum hunc ex monte urbi imminente praecipitari, alveumque eius utrinque hortis et balneis cultum esse, Hadschi-Chalifa p. 345. scribit.

11) Malalas p. 346. (16 Ven.) *τοῦ ῥύακος τοῦ λεγομένου Φυρμίνου τοῦ κατερχομένου ἐκ τῆς διασφαγῆς τοῦ ὄρους*. Idem p. 339. *Παρμενίου χειμάῤῥου*

Digitized by Google

de Onopnicta torrente narrat, ad alium torrentem trahi possunt: quo auctore cum Iustinianus muros Antiochiae reficeret, huius maxime rivi impetus magna mole ab urbe arcendus erat 12). Sed praeter hunc etiam alia fluenta per declivia montis urbem petebant 13); quorum locum in adumbratione urbis lineis expressimus. Omnino si antiquis scriptoribus credimus, nullus terrarum locus aquis et iucundior et salubrior erat quam quo Antiochia sita erat. Si quis impudentior, dicit Libanius, in ceteris Antiochiae laudibus alias urbes aequipareret: aquarum tamen copiae et iucunditati omnes cedunt 14). Hinc non publica solum lavacra ingentem aquae copiam hauriebant, sed certabant cum illis ea, quae singulae urbis tribus sibi struxerant 15): neque ut in aliis urbibus circa publicos puteos multa aquantium contentio et rixa, sed quae in foris et plateis stillabant, aquae potius ad ornatum (*ἐπίδειξιν*) urbis factae erant, cum unicuique privatae domui suus esset fons (*κρήνη*): quas laudes etiam orientales scriptores eo effusius celebrant, quo amantiores hi homines aquae limpidae et frigidae esse solent 16). Tam limpidas autem has aquas testatur Libanius, ut, si

---

κατερχομένου ἀπὸ τοῦ ὄρους κατὰ μέσον τῆς πόλεως 'Αντιοχείας. Cf. etiam de Parmenio *χειμάῤῥῳ ποταμῷ* p. 233. (98. Ven.)

12) Procop. de aedif. Iustin. II, 10. p. 424. ed. Ven. Phocas l. l. Castalium fontem, qui Daphnae erat, pro Phyrmino nominare videtur. Nam quam Castalio dicit superstructam esse permagnam porticum, hanc infra, diss. II. §. 18. accuratius in urbe designabimus. Scribit ille, hunc rivum inde a porticu, quam dixi, diviso flumine dextra altis aquaeductibus superne in urbem, laeva per loca campestria in paludes et Daphnaea prata ferri et sic Oronti misceri.

13) Multas *χαράδρας* olim intra urbem fuisse, Procopius l. l. dicit. De multis torrentibus etiam Kinneir p. 153. De rivo, qui praeter occidentale urbis latus labitur et tardo saepe flumine stagnat, Pococke l. l. Buckingham l. l. Michaud et Poujoulat in tabulis Antiochiae.

14) in Antiochico p. 354. R.

15) Libanius l. l. De Thermis Antiochenis lex est Theodosii, Cod. Theodos. l. XII. t. 1. l. 131. Cf. Gothofredus T. IV. p. 502. ed. Ritter. Caetera lavacra partim sub conditorum nominibus memorabuntur, de hibernis et aestivis autem dicetur in hac dissertatione §. 29.

16) Abulfeda p. 115., cui Ibn-Haukal auctor est.

Digitized by Google

piscinam iis repleveris et aquae fluxum cohibueris, nihil plane aquae stagno inesse credas [17]). Intermiscentur etiam calidi et salutares fontes, septem numero, si geographis Arabibus tanta fides est [18]). Aquarum pulcritudini alterum civitatis commodum aequiparatur, lenes Favonii flatus, qui a mari inde per Orontis vallem fervente cum maxime aestatis sidere spirantes caloris vim frangunt [19]). Erat tamen etiam, qui Antiochenses interdum molestaret, Boreas ventus, quapropter Apollonium thaumaturgum, ut eum telesmate facto arceret, rogaverunt [20]).

4. Sed revertimur ad situm urbis plenius describendum. Campus ille declivis, quem a monte Silpio ad Orontem patere diximus, duo fere passuum millia extenditur [1]). Orontes ipse antiquorum regum et imperatorum tempore diverso meatu insulam efficiebat, in qua Nova Antiochenorum urbs condita est [2]): sed neque nunc neque cruciatarum expeditionum temporibus magnae huius insulae ullam mentionem fieri videmus.

---

17) in Antiochico p. 355. R.

18) Septem fontium, quorum effectus miro modo cum VII stellis errantibus conspirent, locum indicat Hadschi-Chalifa, *Gihân-Numâ* p. 343. Hoc utitur Otter. p. 82. Nunc magis celebrantur calidi et sulphurei fontes qui sunt inter Beroeam et Alexandriam, non longe ab Antiochia. V. Russelii Naturalis Halebi historia T. I. p. 75. ex edit. German. Gmelini. — De Olympiade et S. Pauli fonte infra §. 7.

19) Libanius Antioch. p. 346. et de fortuna sua p. 3. *καὶ οἵων μὲν πίνει πηγῶν, οἵοις δὲ ζεφύροις τρυφᾷ.* Nicetas Choniata de Manuele III, 5. p. 151. ed. Bonn. de Antiochia: *Ταύτην λέγω τὴν τῆς Κοίλης ` υρίας προκαθημένην, ἣν Ὀρόντης ποτίζει καὶ καταπνέει ζέφυρος ἄνεμος.* De eadem re Hegesippus III, 5. et Isidorus Origg. XIII, 21, 17., qui: *Orontis*, ait, *fluentis ex ipso impetu frigidioribus et zephyris ibi assidue spirantibus tota civitas momentis prope omnibus refrigeratur.* De caeli salubritate Herodian. VI, 6, 2. 4. Similia nunc de caelo Beroeae urbis praedicantur. V. Russelii de ea urbe liber T. I. p. 83. ed. Gmelin.

20) Malalas p. 264. (112.)

1) Ita Pococke p. 187. At Kinneir p. 153., unum tantum M. P., vel unum cum semisse, inter montem et fluvium interesse scribit.

2) V. Libanius p. 340. 341. R.

Digitized by Google

Conieceris inde, hunc alterum fluvii alveum, quo insulam eam ambiebat, hominum tantum arte effossum fuisse [3]). Etiam infra Antiochiam sub imperio Romanorum canalis structus est, quo vorago Orontis aquam intercipiens a navigantibus devitaretur [4]). Orontis inde a situ Antiochiae ad mare usque brevis cursus: distabat enim urbs a litore centum viginti stadiis [5]), sive tribus milliariis quae geographica dicimus. Litus circa hoc ostium portuosum; sed inter plures portus [6]) iam sub Seleucidis regibus [7]) maxime insignis Seleuciae in Pieria erat, quam emporium Antiochiae dixeris, rupibus undique cinctus et Constantio imperante saxis perfossis et

---

3) Nihil de hac fluvii parte superesse, percontanti mihi asseveravit etiam vir egregius Prokesch-Osten, qui ipse Antiochiam inde a boreali regione adierat. Solum Niebuhrium nunc video in tabula supra indicata insulam in fluminis alveo significare, prope a ponte, qui nunc unus superest, versus orientem: sed ea insula tam exigua est, ut partem tantum eius effecisse videatur, in qua Nova urbs extructa fuerat.

4) Pausan. VIII, 28, 3. Non vereor, ne scriptor accuratissimus huc transtulerit Charybdin, qua, Strabone VI. p. 275. teste, inter Apameam et Antiochiam Orontes interceptus quadraginta per stadia subter terras labebatur. Cf. idem XVI. p. 750. Quae fama ad angustias pertinere videtur, quas fluvius infra Apameam (Famieh) permeat. Caeterum *ad auxilium purgandi Orontis* aliasque necessitates Comiti Orientis Seleucena classis deputata erat. V. Valentiniani et Valentis Const. in Cod. Iustin. de Classicis l. XI. t. 12.

5) Libanius p. 286. R. Cui non male convenit cum Strabone XVI. p. 751., qui ex lectione a Tzschuckio recepta Seleuciam ab Antiochia distare dicit CXX stadiis (CXXX stadia interesse scribit Procopius de bello Pers. II, 11.). Seleucia autem, ab ostiis fluvii septentrionem versus sita et, Strabone teste, XL stadiis inde distans, eo loco erat, quo nunc indicatur *Minet-Seleukie* (*Minet-Selouquié*, Rousseau), non ad fluminis ostia, ubi nunc Suedia et Byzantiorum tempore Suetium erat. V. Mannert. Geogr. VI, I. p. 481. Willermus IV, 10. Antiochiam a mari X inter et XII M. P. distare dicit; navesque per Orontem ab ostiis usque ad urbem XIII. M. P. ascendere, Scriptor in Gestis Dei per Francos Bongarsii T. I. p. 565.

6) Λιμένας dicit Libanius p. 286. Prope Seleuciam Bytyllium nativum portum fuisse scribit Malalas p. 270. (115. V.)

7) Polybius V, 59.

Digitized by Google

excisis multum auctus [8]). Aptissimus igitur urbis situs ad merces maritimas recipiendas, quas, ut Ciceronis verbo utar, tanquam faucibus fluvii ex mari absorbebat: neque impeditior vectura versus orientales plagas, cum Antiochiae situs ab Euphrate, ubi Zeugma oppidum est a ponte dictum, quo Seleucus Nicator Euphratem iunxerat, ferme CL mille passuum itinere distet [9]), eaque regione fertiles convalles et frequentia incolis loca, denique via omnium in his terris Macedonum et Romanorum tempore maxime trita commodum et amoenum iter praebuerint [10]). Vasta enim illa deserta,

---

8) *Τέτμηται μὲν ἐν Σελευκείᾳ, τέτμηται δὲ ὑπὲρ τῆς ἡμετέρας*, Libanius p. 361. Quingenti milites iam sub Diocletiano ostio portus profundius excavando insudaverant, Liban. ad Theodos. p. 661. Cf. Reiskii annot. Sed decimo Constantii anno portum hunc ex rupe excisum esse scribit Theophanes p. 25. Ven. et consentit Hieronymus Chron. ad a. Chr. CCCXLVI. Constantii X (al. CCCXLIX et XIII.). De eodem opere Iulianus Or. in Constantium p. 40. ed. Spanh. et Descriptio orbis sub Constantio scripta, in Maii Classicis auctor. e Vatic. codd. editis T. III. c. 17. p. 394. (p. XI. ed. G. H. Bode): *Deinde Seleucia civitas magna quae omnia bona suscipit, et ipsa similiter praedictae Antiochiae mittit. Quam ob rem Constantius Imp. maximum montem secavit et introducens mare fecit portum bonum et magnum, ubi venientes naves salvantur.* Cf. Spanhem. ad Iulian. l. l. Observ. p. 268. et Gothofred. ad Orbis descript. p. 16. 17. Atque agnoscunt id opus recentiores, qui ea loca adierunt: Kinneir p. 160. Poujoulat p. 209. — Etiam Laodiceam omnia negotia suscipere ut Antiochiae mittat, scriptum est in Orbis descriptione l. l.

9) Latitudo Syriae a Seleucia Pieria ad oppidum in Euphrate Zeugma CLXXV M. P. est Plinio N. H. V, 12, 13. Isidorus Characenus in Parthicis stathmis, optimo geographiae orientalis subsidio, computationis initium facit ab Antiochia. Antiochiam à Phelgia ad Euphratem schoenos distare ait CXX, Seleuciam a Phelgia C, a Zeugmate autem CLXXI. Hinc facile stationes, quae erant inter Antiochiam et Zeugma, computari possunt, quas Isidorus omisit tanquam omnibus notas. Nam si CXX schoenis C adduntur, et CLXXI. subtrahuntur, relinquuntur XLIX. Schoenos si quaternis M. P. exaequaveris, efficiuntur millia passuum CXCVI.: sed schoeni hoc modulo minores fuisse existimantur. Procop. B. Pers. II, 7. Beroeam ab Antiochia II dierum itinere, totidem a Beroea Hierapolin distare tradit.

10) Via, qua Babylonem ibant, Io. Chrysostomi tempore *σταθμοῖς διείληπται*

Digitized by Google

quae ex Arabia Aquilonem versus extenduntur atque Euphratensem regionem ab ora maritima distinent, quibus in arenis Palmyra tanquam deserti emporium effloruit, hunc quidem Syriae angulum non assecuntur.

5. Ita fit, ut vix quisquam terrarum situs urbi magnae et opulentae condendae aut commodior fuerit, aut amoenior. Nam miram locorum et venustatem et sublimitatem uno ore laudant, qui eam viderunt. Sed tot commoditates quibusdam etiam repensantur detrimentis vel periculis. Praeter torrentes, quorum arcendorum caussa magnae moles structae sunt, terrae motus vix cuiquam urbi plus nocuerunt [1]. Iam antiquitus ea terrarum plaga ignibus sub terra serpentibus multum devastata est. Huc enim spectat fabula de Pagre Gigante in vicinis Antiochiae montibus fulminibus prostrato [2], atque antiquum quod fertur Orontis nomen Typhon, inde derivatum, quod Typhon draconis specie hic Iovis fulminibus percussus terram tractu suo diruperit [3]: talia enim in antiquitate ad hanc

συνεχέσι καὶ πόλεσι καὶ ἀγροῖς, καὶ ὁδοιπόροις δὲ βαδίζων τις ἐντύχοι πολλοῖς etc. Ad Stagir. II, 6. T. I. p. 189. ed. Montf. Ex oriente annonam in urbem deduci scribit Libanius Antioch. p. 356. *Antiochia mundo cognita civitas, cui non certaverit alia, advecticiis ita adfluere copiis et internis,* Ammian. Marc. XIV, 8, 8.

1) De ea re in universum dicit Io. Chrysostomus, in terrae mot. T. I. p. 772. et Homil. III, 7. T. II. p. 46. d. ed. Montf.

2) Malalas p. 202. (85 Ven.) Nomen Gigantis referendum est ad Pagras castellum, §. 2. ann. 11. Libanius de fort. sua p. 66. Antiochia Cpolin profectus, post primum σταθμὸν ascendens eum locum attingit, quo Gigantes combusti esse ferebantur. Quae Malalas eodem loco de corporibus in saxum mutatis ad secundum ab urbe lapidem repertis narrat, ea spectare videntur ad gigantea illa ossa, quae Romanorum temporibus in alveo Orontis exsiccato inventa sunt. De his Pausanias VIII, 29, 3. et Philostratus Heroic. c. 1. §. 3. p. 669. Olear., qui Aryandis Assyrii vel Indi hoc cadaver idque τριακοντάπηχυ fuisse dicit. Apertum videtur, Mammuthica aliave primaevi mundi ossa ibi effossa esse: ad quae etiam aliae antiquorum fabulae spectant.

3) Strabo XVI. p. 750. Malalas p. 141. (59 V.) Dracontem eum fluvium dicit Anna Comnena IV. p. 97. A. Malalas p. 38. (15 V.) 197. (83 V.), Io. Tzetzes Exeges. Iliad. p. 750. ap. Bachmann. Schol. Iliad. Cf. Chilmeadius ad Malalam p. 234, 21. Ducangius in app. ad Cinnam. p. 279. Typhonem

Digitized by Google

locorum naturam explicandam fabulose tradi solent. Etiam Melantii montis nomen aliquid de ignibus terrae innuit: et de montium ignivomorum crateribus ea regione exstantibus quaedam rettulerunt recentiores peregrinatores 4). Sed Antiochia ipsa septem fere saeculis ab Antiocho Sidete ad Mauritium usque Imperatorem decies vehementer concussa, plus semel fere tota deleta est. Hos terrae motus, tanquam epochas historiae Urbis, hic memorare libet. Primum invenio fuisse annis post moenia Antiochiae strui coepta CLII, post absoluta CXXXII, i. e. a. Chr. 148, quo tempore Alexander Balas Syriam obtinebat, Peritii mensis, qui Februario ferme conveniebat, d. XXI. hora decima 5); alterum sub Gaio Caesare, d. XXIII Dystri s. Martii m. anni Antiocheni, qui a Caesaris dominatu computatur, LXXXV, i. e. p. Chr. 37. 6); tertium sub Claudio, cum urbis non pauca aedificia corruebant 7); proximum Trajano imperante, d. XIII. Apellaei s. Decembris m. sub diluculum, anno Antiocheno, qui sub auctumnum incipit, CLXIV, p. Chr. 115., Pedone consule 8), cum Antiochia eo terrae motu

---

secuntur etiam hunc in locum Arimi (Strabo l. l.). Huc traherem etiam Phlegras locum prope Antiochiam ap. Libanium p. 236., nisi verisimile esset, ΦΛΕΓΡΑΣ mutandum esse in ΦΑΓΡΑΣ (i. e. Pagras).

4) Sestinius *Viaggio da Cpoli a Bukoresto* pag. 64. de pluribus montibus, qui olim ignes profuderint, circa Beroeam narrat, atque etiamnunc montem Arsiz-Daghi, qui medius fere inter Beroeam et Alexandriam esse videtur (sicut ex comparatione Otteri et Pocockii intelligitur), flammas vomere. Sed v. quae de Sestinii placitis monet Gmelinus ad Russelii Naturalem Halebi historiam, in linguam vern. translatam T. I. p. 68. 75. De fontibus subterranea ignis vi prorumpentibus narrant Angli, quos supra §. 3. ann. 2 laudavi.

5) Malalas p. 207. (88.) e Domno chronographo. Quem hic eo tempore regem Syriae fuisse memorat, Antiochus, is a ceteris ignoratur, et fortasse Antiochiam tantum obtinebat. Sed rem hoc tempore non expedio.

6) Malalas p. 243. (102.) 265. (112.)

7) Malalas p. 246. (104.)

8) Malalas p. 275. (117.), qui diem feriam primam dicit, ex Christianorum computatione. Sed princeps auctor Dio Cass. LXVIII, 24., ex quo constat, Traianum tum hiberna Antiochiae egisse. Cf. Iuvenal. VI, 411. qui hunc terrae motum respicit, Sext. Aurelius Victor Caes. 13. Eustath. ad Dion. Per.

Digitized by Google

qui brasmatias dicitur, gravissime concutiebatur, ita ut etiam Casii montis cacumina nutarent, et aquarum fontes et rivi magnam mutationem subirent: quo tempore qui e civibus superstites erant, aedi Daphnae erectae inscripsere: οἱ σωθέντες ἀνέστησαν Διὶ Σωτῆρι. Quintum numero qui sub Constantio fuit, quinto anno huius regni, i. e. p. Chr. 341. [9]); sextum, qui sub Leone Magno, secundo huius principis anno, XIV d. Gorpiaei s Septembris m., cyriacae sub primam lucem, anno Antiocheno DVI, qui est p. Chr., si Antiocheni anni a Septembri m. computantur, 457., si ab Octobri vel Novembri, 458: quo terrae motu Nova maxime urbs in insula Orontis extructa, quae tum splendidissima et frequentissima erat Antiochiae pars, vastata est [10]). Sequitur qui fuit sub Iustino, cum hic VII

---

918. p. 280. Euagrius H. Eccl. II, 12. Huius error, quo eum terrae motum anno Antioch. CLIX, CCCXLVII annis ante terrae motum qui sub Leone fuit, accidisse statuit, iam a multis notatus est. De tempore huius casus egerunt Baronius Annal. Eccles. ad a. Chr. 111. et Pagius in Crisi Baroniana, Valesius ad Euagr. II, 12. p. 72., Chilmead ad Malal. p. 577. ed. Bonn. At hic minus recte annum Antiochenum fuisse dicit CLXIII, nam ultimi menses anni p. Chr. 115. respondent anno Antiocheno CLXIV.

9) V. Theophanes p. 24. ed. Ven. et Cedrenus p. 298. ed. Par., qui Antiochiam sub Constantio et Constante, τῷ δ' καὶ ε' ἔτει, per tres dies concussam esse dicit. — Terror ille sub Valente (Ammian. XXVI, 10. Liban. de vind. Iuliani p. 42. cf. Olear., epistol. 1186. p. 91.) minus ad Antiochiam pertinuisse videtur, quam ad ipsa maris litora. — Etiam Io. Chrysostomus sub Theodosio de urbe non multo ante concussa dicit, Homil. II, 2. T. II. p. 21. Montf.

10) V. Zonaras Ann. XIV, 1. p. 40. ed. Ven. Malalas p. 369. (27.), Euagrius Hist. Eccl. II, 12. p. 305. (ex Ioanne Rhetore) et, qui hunc reddit, Nicephorus Call. Hist. Eccl. XV, 20. De eodem terrae motu Antonius in V. Simeonis c. 7. Gennadius c. 66. et, qui hunc compilat, Marcellini Chronicon ad a. Chr. 459., etiam Isaac. Presbyter eccl. Antiochenae ap. Assemannum Biblioth. Orient. T. I. p. 211. cf. p. 230. Abulpharagius Hist. Dynast. p. 92. ed. Pococke. Anno 458. p. Chr. hunc terrae motum adscribunt Baronius et Norisius Ann. Syromaced. diss. III. c. 6. p. 216.; anno 457. Pagius T. VIII. p. 220. ed. Luc. (qui Theophanem et Cedrenum sequitur) assentiente Idelero, Enchir. Chronol. p. 464.: quippe qui Gorpiaeum anno incipienti Antiochenorum addunt, quem Norisius demit (cf. §. 9.); anno 459. Assemannus, qui id

Digitized by Google

annos et X menses regnasset, Olybrio consule, XXIX d. Artemisii s. Maii m. anni p. Chr. 526., cum etiam terrae solum ignibus bullire et attolli videbatur, et tota fere urbs cum ipso terrae motu tum incendiis consumpta est [11]. Eo tempore cum ad festum Analepseos Christi multi peregre convenissent, ducenta et quinquaginta hominum millia ruina flammisve absumpti esse dicuntur [12]. Qua de horrenda clade cum nuntius Constantinopolin allatus esset, Princeps statim lugubrem vestem induit, et multis cum lacrumis ad Dei templa supplicavit. At brevis horum malorum quies; nam triginta mensibus post, secundo Iustiniani anno, Antiochenorum a. DLXXVI, p. Chr. 528, Novembris s. Dii m. XXIX d. prima hora, tremendo terrae motu diroque fragore instaurata aedificia omnia et templa murique conciderunt, et quinque fere hominum millia (MMMMDCCCLXX) perierunt [13]. Hic ex nostra computatione octavus per haec saecula mo-

---

ex vita Simeonis efficere studet. Et videtur sane hoc anno, VIII. d. Iunii m., clades Antiochiae iterata esse. Malalas Patricium consulem ex hoc anno 459. male transtulit ad priorem.

11) Malalas p. 419—421. (50. 51.), quo teste etiam Daphne tum diruta est. De eadem clade narrat Procopius de bello Pers. II, 14. Euagrius IV, 5. qui ad Ioannem rhetorem provocat, Ioannes Laur. Lydus de magistratibus III, 54. p. 247. ed. Bonn., (qui eum terrae motum *σάλους σκιρτῶντας καὶ διϊστῶντας τὴν γῆν ῥιζόθεν* appellat, ipsumque collem supra urbem extantem in eam incidisse narrat), Marcellinus ad a. 526. (ap. Sirmondum T. II. p. 381.), Chronicon Edessenum apud Assemannum Bibl. Orient. T. I. p. 414. *Cum hic VII annos et X menses regnasset* scripsi corrigens sic quae Euagrius non accurate: *ἐν τῷ ἑβδόμῳ ἔτει τῆς αὐτοῦ βασιλείας μηνὶ δεκάτῳ.* Monuerunt de ea re Valesius ad Euagrium l. l. p. 102. et scriptor Actor. Sanct. Maii m. T. V. p. 230 sq. ad Vitam Simeonis minoris, qui eo tempore puer erat. Cf. p. 337. 347. Discitur tamen ex Theophane p. 117. 118. et Cedreno p. 365. ed. Par., hunc terrae motum Antiochenos iam priore anno, Octobris m. IV. d., sensisse, eoque usque ad proximum sequentem (Iustini nonum) turbatos esse. Cf. Baronius a. 525. Norisius l. l. c. 6. p. 232. Assemannus p. 414.

12) Haec Malalas l. l.: sed Procopius CCC millia hominum tum periisse scribit. Inter eos qui a. 526. d. XXIX Maii m. obierunt, etiam Euphrasius episcopus erat.

13) V. Malalas p. 442. (60.) Procop. Hist. Arc. 18. p. 111. ed. Bonn. Eua-

Digitized by Google

tus: sed ii chronographi, quos Malalas sequitur, sextum dixere, tertium eum habentes, qui Traiano principe accidit: omisso videlicet eo, qui ante exordium Antiochenorum annorum memoratur, eoque, qui sub Constantio accidit, tanquam minus gravi. Easdem rationes sequitur Libanius, qui sub Iuliano Imp. ter urbem deletam esse, quartam nunc stare dicit [14]). Atque etiam posthaec, quousque plenior rerum memoria extat, multa horum malorum mentio: nam regnante Iustino II. et Tiberio iam tum in consortium regni recepto, Antiochenorum a. DCXXV, p. Chr. 587, Antiochiae aedificia terra movente vehementer concussa sunt et Daphne tota concidit [15]); et sub Mauritio Imperatore, Antiochenorum a. DCXXXVII, p. Chr. 588. Hyperberetaei s. Octobris m. ultimo die, magno terrae motu multa urbis aedificia deleta sunt perieruntque hominum, quantum ex annona publica computatum est, circiter sexaginta millia [16]).

6. Fabulis, quibus Antiocheni vetustas urbi suae origines adstruebant, scilicet id studentes ut ne novitia Macedonum colonia haberentur,

grius IV, 6. Theophanes p. 20. Cedrenus p. 368. Par. Glycas p. 269. d. Par. 500, 13. Bonn. Sancti Laurentii Vita in Act. Sanctor. Februarii m. T. I. p. 363., in qua propter Arianos Antiochiam tum eversam esse contenditur. Cf. Valesius ad Euagr. IV, 5. p. 102. VI, 8. p. 124. Eundem terrae motum, ni fallor, tangit Nicephorus in Vita Simeonis minoris in Act. Sanct. Mai. T. V. p. 310.

14) Antioch. p. 347. Contra Euagrius Hist. Eccl. II, 12. cum eum terrae motum, qui sub Leone fuerat, sextum dicit, et quintum qui sub Traiano, eandem rerum memoriam sequi videtur, quam h. l. exposui.

15) Euagrius V, 17. cum Nicephoro XVIII, 3. Accessi Valesii sententiae, p. 119. Euagrium hoc dicere existimanti: cum Tiberius Caesareae dignitatis tertium annum impleret, non Augusteae, hunc terrae motum fuisse.

16) Euagrius VI, 8. cum Nicephoro XVIII, 13. Valesius hunc terrae motum rettulerat ad a. 589., sed rectius Norisius diss. III. c. 6. p. 232. eum revocat ad a. 588. Cf. I. W. Zinkeisen *„Geschichte Griechenlands"* T. I. p. 698. Ex medio aevo invenio memoratum horrendum terrae motum, quem a. 1115 p. Chr. urbem proruisse tradidit Gualtherius, Rogeri Antiochiae principis cancellarius. His temporibus, a. 1822., Antiochia, quae commerciis frequentioribus paulatim efflorescere coeperat, terrae motu fere tota denuo diruta est. V. Poujoulat *Corresp. d'Orient* T. VII. p. 119.

Digitized by Google

sed ex antiqua Argivorum Atheniensiumque stirpe prognati, cordatior nemo fidem adhibebit [1]). Verumtamen ex his de Ione et Perseo Triptolemoque narrationibus intelligitur, ante Antiochiam conditam eodem loco stetisse pagos quosdam, quos accuratius cognosse nostra intererit. Pagus erat Ione s. Iopolis, situs in colle occidentali, quem Silpium montem diximus, circa ea loca, quibus postea arx Antiochenorum extructa est [2]). Huc, Antiocheni ferebant, Ionem illam Argivam ex Aegypto fugatam pervenisse ibique diem obiisse extremum; deinde ab Inacho Triptolemum Eleusinium atque Argivos nonnullos missos esse, qui filiam amissam quaererent, eosque Iopolin illam cum Saturni delubro condidisse atque ab ipsis Syris dictos esse Ionitas [3]). Iam facile intelligitur, fabulae tam speciosae

1) De Graecis coloniis Antiochiam deductis Euagrius Hist. Eccl. I, 20. (cum Nicephoro H. E. XIV, 50.) narrat scripsisse Strabonem, Phlegontem (i. e. Trallianum in Chronicis), Diodorum Siculum (in libris deperditis), Arrianum (ἐν τοῖς μετ' Ἀλέξανδρον, ut videtur), Pisandrum poëtam (hic Larandensis est, Theogamion scriptor, qui Ius fabulam in eo carmine tractasse videtur), praeter eos Ulpianum (Antiochenum grammaticum) Libaniumque et Iulianum sophistas. Pausaniam historicum ἐν τῷ περὶ Ἀντιοχείας κτίσεως laudat Io. Tzetzes Schol. in Exeges. Iliad. p. 833. ed. Bachmann.

2) V. Malalas p. 29. (11.) 37. (15.) Libanius p. 288. 289. cf. verba ἐπὶ τὸ ὄρος p. 287. V. etiam Stephanus Byz. s. v. Ἰώνη, Suidas s. v. Ἰώπολις, Eustath. ad Dion. Per. v. 918. p. 281. ed. Bernhardy. Vicus Antiochiae (γειτονία) Ἰουβιτῶν a Theophane p. 46. ed. Ven. memoratus nescio an in Ἰωνιτῶν refingendus sit.

3) Haec ex Malala p. 28. 29. (11. 12.) et Chronico Paschali p. 41. 42. Par., Theophilus ab utroque auctor laudatur. Eadem brevius Cedrenus p. 21. Par. Similia Libanius p. 287 sqq., nisi quod Ionem ipsam huc pervenisse ignorat. Strabo XVI. p. 750. fabulam de Triptolemo ad Ionem exquirendam misso commemorat, Triptolemique posteros inter Antiochenses esse tradit, illique heroi in monte Casio sacrificare et feriari solitos esse Antiochenses. Cf. Rad. Rochettus Hist. col. Graec. I. p. 151., qui vir apprime doctus et veri studiosissimus nunc puto aliter de his fabellis iudicat atque olim. Omitto h. l. narrare, quae Libanius posthaec, p. 289., de Cretensibus et Cypriis Casi colonis: sed levissimam famam secutus Syncellus p. 126 a. (237. Bonn.) Casum et Belum, Inachi filios, ipsam Antiochiam ad Orontem condidisse scripsit. Cf. Stephanus Byz. s. v. Κάσος. De Cretensibus colonis infra §. 27.

veri nihil subesse nisi nomen Iones pagi, et fortasse ritus quosdam Asiaticorum vel Isiacorum sacrorum, quae sacra a Graecis ad Inachidem illam mature trahi coepta esse constat [4]). Neque tamen famae levitas obfuit, quominus Antiochenses hac propter et Argorum, quam urbem et ipsam Iopolin dictam fuisse asseverabant [4*]), et Athenarum progeniem se esse gloriarentur et in ipsis numis Atticae insignia assumerent [5]); atque Eudocia Augusta, Theodosii minoris uxor, Atheniensis philosophi filia, Antiochenses ambitiosa hac appellatione alloqueretur:

Ὑμετέρης γενεῆς τε καὶ αἵματος εὔχομαι εἶναι [6]).

Cuius gloriae hic unicus fundus est, quod Triptolemus Eleusinius ex Attica ad Ionem quaerendam missus esse ferebatur [6*]): quae fabularum coniunctio fortasse iam in Asia minore facta erat, ubi multa Triptolemi mentio. Nam indigenam quendam Lydiae heroem, Tylum, Terrae filium, propter aliquam naturae vel muneris affinitatem, pro Triptolemo Graecorum habitum et sic etiam artis operibus effictum esse, alio loco ex Sardiano numo evici [7]). Quod autem Triptolemus ab Antiochenis tanquam

4) Malala teste, p. 29. certo quodam anni tempore hic ritus ab Antiochenis observabatur, ut fores pulsarentur et simul clamaretur: ψυχὴ Ἰοῦς σωζέσθω. Similia Libanius p. 287. Quis non agnoscat Orientem graecissantem?

4*) V. Chronicon Paschale p. 41. Par. (74. Bonn.). Sic mythographia Byzantiorum permultas Graecorum fabulas figmentis ditavit, quae in Asiae civitatibus natae erant.

5) Documento est numus ab Eckhelio, Num. vet. anecd. tb. 15, 4. prolatus, cuius in antica est Palladis caput, in postica noctua cum titulo ANTIOXEΩN, ceterum Atticis numis simillimus. V. tab. adiect. n.

6) Euagrius I, 20. cum Nicephoro XIV, 50. Ἰωνῖται Σύροι ὅτι ἄποικοι Ἀθηναίων, dicit Io. Tzetz. Schol. in Exeges. Iliad. p. 831. ed. Bachmann.

6*) Niebuhrium (in Museo suo Rhenano III, I. p. 30. Script. min. p. 205.) his de Triptolemo fabellis nimium pretium tribuisse, recte monuit Prellerus de Cerere et Proserp. p. 301. Sed hic ubi scribit Triptolemi posteros e Gordyene, quae in Assyria est, Antiochiam esse a Seleuco traductos, non recte Strabone XVI. p. 760. usus est.

7) V. Annales Instituti archaeol. T. II. p. 157. Eundem Tylum Maeonium a dracone interemtum et Διὸς ἄνθει e morte suscitatum narrat Nonnus XXV, 451 sqq. e Xantho. Cf. Plinius N. H. XXV, 2, 5. §. 14.

Digitized by Google

patrius heros tam eximie colebatur, id effecisse puto, ut etiam Germanicus, cum a Tiberio Orienti praefectus Antiochiam peteret eique civitati etiam tempora feliciora et quasi novum saeculorum ordinem afferre videretur, Triptolemi nomine et simulacris ad illius formam expressis coleretur: cuiusmodi etiamnunc duo extant egregia artis opera, gemma ectypa, quae in cimeliis Regis Franco-Gallorum asservatur, et patera argentea, Caesarei apud Vindobonenses Musei ornamentum, Aquileiae reperta. Sed de his scalptis caelatisque operibus cum alibi satis prolixe dixerim, hic ea re explicanda supersedere licebit. Paulo posteriori tempore, addunt harum fabularum auctores, etiam Perseum Argivum in orientales plagas delatum Ionitas tanquam sanguine secum coniunctos visum venisse [8]), eumque, cum eo tempore gravis quaedam tempestas et Orontis immensus auctus ingenti fulmine coercitus esse videretur, templum Ignis Aeterni vel Iovis Fulguris, Graece Διὸς Κεραυνίου, Ionitis condidisse [9]). Nimirum Ignem Aeternum hoc loco Aramaei homines patria religione diu coluerant, antequam Graeci Iovem ibi Ceraunium Perseumque Iovis filium huius sacri statorem agnoscerent. Neque Orestes Argivus hanc popularium suorum civitatem praeteriisse ferebatur, sed in ipso monte Melantio in Vestae de-

8) Haec Malalas p. 37. (15.) Eadem Chronicon Paschale p. 40. Par. 75. Bonn. Fabularum de Perseo et Bellerophonte, Pegasi sessoribus, multa mentio in Asia minore et vicinis terris. Hinc Bellerophontis quoddam celebre signum Antiochiae erat, postea Constantinopolin tralatum. V. Banduri Imper. Orient. T. II. p. 461. ed. Par. (ex Codino et Niceta). Heyne Commentat. Soc. Gotting. V. XI. p. 13. Wilken. ad Nicetae de statuis librum p. 8.

9) Quod πυρὸς ἀθανάτου templum Malalas p. 38. et Chron. Paschale ex Pausania chronographo conditum esse narrant, id ex nexu narrationis intelligitur idem esse delubrum, quod a Malala p. 199. (212.) Iovi Ceraunio tribuitur. Eiusdem Ceraunii Iovis sacra Seleuciae in Pieria floruisse, etiam numi testantur. V. Norisius Ann. Syromac. diss. III. c. 8. p. 268. Mionnet. *Description T. V. p. 274. n. 860. Suppl. T. VIII. pl. 16. n. 5.* Ceterum Libanius Nemei Iovis delubrum in Ione oppido memorat a Triptolemo conditum, Antiochico p. 289., et Chron. Pasch. p. 42. Par. 76. Bonn. Κρονίωνος ἱερὸν in Silpio monte ab Argivis Ionitis extructum. Puto eundem deum esse τὸν Δία τὸν ἐπὶ τῆς κορυφῆς, cui a Libanio ad Iulianum p. 480. opponitur ὁ ἐν ἄστει.

Digitized by Google

lubro somno post sacra facta furore solutus esse ac deinde Melantorum fluminum aqua omnem labem abluisse. Cuius rei documentum ostendebatur apud Antiochenses, non procul ab urbe, aenea statua in columna erecta hominis dextrae manus digitum versus montem illum porrigentis: quod signum cur fugitivus, ὁ δραπέτης, appellaretur, mira quadam narratione explicare studuit Domninus chronographus [10]).

7. Alium locum celebritate Antiochiae antiquiorem habemus Meroen, postea suburbium magnae urbis versus orientem situm [1]). Qui Simeonis Stylitae prioris vitam enarravere, ii defunctum huius viri corpus, cum ab eo loco, quo in columna steterat, et posterius templo et coenobio colebatur (qui locus ab urbe orientem versus trecentis stadiis abest), Antiochiam deferretur, ad V ferme ab urbe lapidem ad locum Meroen pervenisse tradunt [2]). Hoc loco, quo tempore Persae in Oriente praepotuere, Persicorum numinum sacra instituta sunt. Delubra enim ibi erant et Solis et in proximo Persicae Dianae permagnum: quam deam a Persis Anaitidem dictam esse constat [3]). Id constituisse, narrat rhetor Antiochenus, Semiramidem Assyriam, nomen cum sacris eius numinis coniunctissimum; auxisse et Persico apparatu exornasse Meroën, Cambysis uxorem [3*]) (alii sororem, alii matrem dicunt), cum oculorum sibi restitutorum gratiam deae referret [4]). Hinc nomen loci, quo etiam ab Antiochenis solenne eius

10) apud Malalam p. 142. (59. 60.). Montem Ἀμανόν dictum esse a sublata Orestis μανίᾳ, multi ex antiquitate rettulerunt.

1) Hoc ex Libanio sumptum, Or. in Dianam p. 236.

2) V. Cosmas Presbyter ap. Assemannum Bibl. Orient. T. I. p. 253., qui loci nomen *Maro* scribit. *Meron* dicitur ab Antonio in Vita Simeonis, qui illud V M. P. spatium indicat. V. Bollandi Acta Sanctorum Ianuarii m. T. I. (p. 268. locus *Mero* dicitur, p. 274. *Meroe*, p. 285. *Meros*.) De Simeonis coenobio dicam diss. II. §. 21.

3) Libanius Antioch. p. 291 sqq.

3*) V. de hac Meroë, a qua Meroën Aethiopiae dictam ferunt, Wesseling. in Diod. I, 33. p. 38, 95.

4) Ex hoc Libanii loco, Antioch. p. 291., alter melius intelligitur, Or. in Dian. p. 236. Hoc loco Scythas, puto cum post annum a. Chr. 624. per Syriam va-

Digitized by Google

deae magno cum splendore agebatur, septimo mensis Artemisii sive Maii die [5]). Ac si fabulas et incertos rumores subtraxeris, hoc certe fide dignum videtur, Persas Asiae dominos has sacrorum suorum sedes constituisse, non aliter atque Hierocaesareae in Lydia inde a Persarum imperii tempore Ignis divinus magicis carminibus, et Persica Diana delubro, quod ipse Cyrus rex dicasse traditur, colebantur [5*]). In hac orientali urbis parte [6]) erat etiam Olympias fons, quod nomen ei ex fide fabulae cuiusdam a rhetoribus Antiochenis ut videtur inventae [6*]) indidisse dicitur Alexander, aquae dulcedine adeo captus, ut Olympiadis matris lac se sibi hausisse videri profiteretur [7]). Eundem hunc fontem esse crediderim, qui nomine S. Pauli ab historicis cruciatarum expeditionum et recentioribus celebratur [8]), in urbis parte orientali maxime insignis.

Tertio de Bottia dicendum. Hic locus, cum Macedonico nomine ab iis Bottiaeis dictus sit, qui in finibus Emathiae ad Lydium et Axium fluvium olim coluerant, Alexandri tempore a Macedonibus nonnullis propter agri fertilitatem et aquarum copiam conditus esse videtur. Bottia ea sita erat ad ripam Orontis, exadversum Silpium montem et Iopolin [9]). Hic

---

garentur, a Diana et Apolline Meroa repulsos esse narrat. — Memorat hanc Meroen etiam Stephanus Byz. s. v.

5) Libanius p. 236.

5*) Pausan. V, 27. Tacit. Ann. III, 62.

6) Dicuntur enim a Libanio p. 356. Alexandri fonte superbire *οἱ τὴν πρὸς ἕω μοῖραν οἰκοῦντες*. His opponuntur inter alios *οἱ ἐπὶ τῆς ὑπωρείας*. Non satis recte igitur Malalas p. 234. eum fontem ad montem ponit.

6*) Cf. Ste-Croix *Examen critique* p. 406. Raoul-Rochette *Hist. de l'étabI. des col.* T. IV. p. 131.

7) Libanius p. 296. Malalas p. 234.

8) Willermus I, 10. IV, 13. 14. M. Sanuti III, 5, 4. Monkonys apud Dapper. l. l. La Roque p. 202., qui huic stagno longitudinem CC, latitudinem C pedum tribuit. Niebuhr T. III. p. 16. Ex hoc aliisque fontibus orientalis partis palus rigabatur, cui ad portam Canis pons lapideus, egregio opere factus, superstructus erat.

9) Haec ex Malala p. 200.

Digitized by Google

Iuppiter Bottiaeus cultus, cuius delubrum Alexander dedicasse, collemque propinquum patrio nomine Emathiam dixisse ferebatur [10]).

8. His igitur locis stetit Antiochia urbs. Sed praeivit eam in ripa Orontis et egregio hoc terrarum situ occupando alia magna urbs, **Antigonia.** Hanc condiderat Antigonus, Demetrii Poliorcetae pater, quippe loco apto, unde Babyloniam simul et superiora Asiae atque satrapias maritimas cum Aegypto custodiret [1]). Situm elegerat inter Orontem fluvium, quo loco is magno anfractu ex austro convertitur in occidentem, et Arceuthum, qui nunc *Aswad* dicitur, ex lacu exeuntem [2]). Ambitum urbis Antigonus constituerat LXX stadiorum [3]); ornatum addiderat magnificum. Facta sunt haec ex Diodori rationibus Olympiadis CXVIII a. 2, cuius prior pars respondet anno ante Chr. 307., et incipienti anno Seleucidarum VI. [4]).

---

10) Malalas hunc Iovem *Βώττιον* dicit. Libanius Antioch. p. 297: *Αἱ δὲ ἀρχαὶ τοῦ κατοικισμοῦ Ζεὺς Βοττιαῖος ἱδρυθεὶς ὑπὸ Ἀλεξάνδρου, ἡ* (scr. *ἥ τε*, Reiske *ᾗ*) *ἄκρα τῆς ἐκείνου πατρίδος λαβοῦσα τοὔνομα καὶ Ἠμαθία κληθεῖσα.* Quae ea *ἄκρα* sit, admodum obscurum est. Cf. idem p. 300. — Quaedam in hoc fabularum recensu praeterii, quibus hunc locum concedere lubet. Antiochiam olim *Reblatha* sive *Rebla* dictam esse et etiam Daphnaeum fontem Hebraeis scriptoribus notum fuisse, somnia sunt antiquorum S. S. interpretum. V. S. Hieronymus ad Isaian l. V. c. 12. T. IV. p. 170. et ad Ezechielem (47, 18.) l. XIV. T. V. p. 599. ed. Vallars. Quid quod iam Salomonem destruxisse Antiochiam, ut Palmyram conderet, narrat Abulpharagius p. 34. ed. Pococke.

1) Haec Diodorus XX, 47.

2) Malalas VIII. p. 199. B. cf. supra §. 2. J. B. Rousseau in tabula rudera, quae ad locum *Zeghaib* in monte meridiem versus ab Antiochia supersunt, Antigoniae tribuit: non recte.

3) Diodorus l. l.

4) Cum nuntius de Salaminia Demetrii victoria, quae Iulio m. anni a. Chr. 306. parta est, ad Antigonum perferretur, Antigonus in Antigonia urbe condenda occupatus erat (Diodor. XX, 47.): sed stetisse iam regiam et alia aedificia, intelligitur ex Plutarcho Demetr. 17. — V. etiam de Antigonia ad Orontem condita Syncellus p. 519. 520 B. (273 c. 274 a.); a quo adiicitur, Seleucum eam urbem *ἐπικτίσαντα* Antiochiam dixisse.

Digitized by Google

Sex tantum septemve annos magna haec urbs steterat, cum regio nutu, sicut creverat, e terris sublata est. Nam postquam Antigoni potentia uno praelio ad Ipsum (Olympiadis CXVIIII a. 4. incipiente, a. Chr. 301. Augusto mense) fracta erat: Seleucus Nicator, qui nunc prima cera Antigoni atque Persarum heres scribebatur, novam urbem condendam secum constituit, sive ut Antigoni rerum gestarum memoriam maiore apparatu et splendore praestringeret et obscuraret, sive situs paulo inferior magis idoneus ipsi visus est, quo magna urbs floreret, sive ominibus et auguriis, quae traduntur, eum ad illam rem agendam permotum esse credibile est. Quadraginta stadiis nova urbs distabat a vetere, sed incertum, quo loco, ad muros duarum urbium an alibi, terminos huius spatii, unde in metiendo exeundum sit, statuere iubeamur [5]).

9. De prima Antiochiae origine traduntur haec. Annus agebatur Seleucidarum XII, i. e. ante Chr. trecentesimus, quo Olympiadis CXIX annus quartus exibat, et Xanthici mensis, qui primus est veris, dies vigesimus tertius [1]), cum Seleucus rex Seleuciam Pieriae, quod oppidum postea tanquam Antiochiae emporium erat, condidit. Hinc Ionen concessit, et tres ibi dies commoratus Iovi Ceraunio sacra fecit, Artemisii mensis, qui secundus veris mensis erat, Kalendis i. e. novilunii die. Quo facto cum Antigoniam se contulisset, atque etiam illic ad aras ab Antigono Iovi conditas hostiis caesis Amphionem sacrificulum de voluntate dei consuluisset, alione nomine Iuppiter hanc urbem appellari vellet an novam a se extrui: factum esse fertur, ut aquila hostiarum visceribus ex ara ablatis Silpium montem [1*]) praepete volatu peteret. Extemplo acclamatum: hic novas sedes figendas [2]).

---

5) Libanius p. 299.

1) Annus ex Eusebio et Syncello desumptus; mensis dies ut sequentes a Malala p. 199. (84.). Cf. Clinton T. III. p. 348.

1*) Ita Malalas. In aram Bottiaei Iovis in Emathia aquilam viscera illa portasse, Libanius scribit p. 300.

2) Idem fere aquilae augurium etiam Alexandro in Alexandria condenda contigisse narrat Iul. Valerius de rebus gestis Alexandri I, 30.

Digitized by Google

Antequam longius procedamus: iucundum erit paululum subsistere in hoc ostento, quod, cum urbis Antiochiae natale fuisset signum futuraeque felicitatis haberetur praesagium, multis artis operibus celebratum est. Nam ipse Seleucus signum illius aquilae marmoreum extra urbem statuisse fertur [3]); et frequens etiamnum in numis Seleucidarum regum et Antiochiae urbis imago aquilae expansis alis fulmini insidentis: quam ad religionem Iovis Fulguris in monte Silpio culti spectare apertum est. Nempe ab hoc deo etiam illa aquila missa esse credebatur [4]). Sed apertius augurium illud indicatur, ubi eadem aquila femur pecudis, quae pars hostiarum aris adolebatur, secum auferens conspicitur: quod videre licet in numis Antiochenorum temporibus Hadriani et Marci Imperatorum signatis [5]). Accedit quod huic aquilae non raro vel arietis caput vel integer aries additur, quem in numis Gordiani Pii intra pedes volucris positum videmus [6]). Atque hunc arietem, qui in sexcentis Antiochenorum numis expressus est, ad vernum illud zodiaci signum spectare, etiam astro monstratur, quod arieti supraponitur [7]): sic enim solent signa zodiaci in numis Syriae et Aegypti, quibus in terris superstitiones genethliologorum maxime vigebant, denotari. Aries autem caelestis cur cum aquila coniunctus sit, explicare vix opus est. Nimirum augurium aquilae, de quo loquor, visum est primo Artemisii mensis die: qui dies quanquam propter cyclicam mensium lunarium rationem, quae tum apud Macedones obtinebat, non satis cognitam accurate definiri nequit, verisimile tamen eum Sole in Arietis signo vertente incidisse. Nam cum Alexander obiret (Olymp. CXIV. a. 1., 323 a.

3) Malalas p. 202.

4) Idem aquilae signum etiam in numis Ptolemaeorum eadem ratione explicandum esse monstrant dicta in annot. 2.

5) V. Mionnet *Description de Médailles* T. V. p. 177. Saepe ea aquila coronam, victoriae signum, rostro portat, velut in numis Septimii Severi p. 177.

6) Mionnet l. l. p. 183.

7) In multis numis etiam stella est inter crura aquilae. Quod Caracalla Imperatore Solis caput radiatum, item Leo cum stella, inter crura aquilae posita conspiciuntur: singulari de caussa, puto propter thema genethliacum Caracallae vel Iuliae Domnae, factum esse autumo.

Digitized by Google

Chr., d. XXVIII. Daesii sive Thargelionis m., i. e. 11. d. Iunii m.): Macedonum Daesius Atheniensium Thargelioni respondebat: ex hoc tempore si Macedones usque ad Olymp. CXIX. a. 4. non alios menses intercalabant atque Athenienses, Macedonum Artemisius tum Attico Munychioni respondebat, et, si Attici Metonium cyclum observabant, utriusque mensis Kalendae ex rationibus Iulianorum fastorum in d. III. Aprilis m. anni a. Chr. 300. incidebant [8]). Hoc autem die Solem in signo et sidere Arietis fuisse, nulla est dubitatio [8*]). Quid igitur apertius quam numis illis Antiochenos significare voluisse, quibus auguriis et quo sub sidere urbs sua condita esset [9]).

10. Igitur Seleucus hoc augurio fretus novam urbem inter Silpium montem et Orontem fluvium condidit, postquam et hoc loco ab Amphione

---

8) Sequor in ea re tabulas Metonii cycli a V. Cel. Idelero propositas.

8*) Ne forte rationes meae errore quodam turbentur, haec commode mecum communicavit V. D. Piper, chronologiae et astronomiae antiquae sanequam peritus: Stellae Mesarthim (γ in Ariete) longitudo erat anno p. Chr. 1800. $= 30^0\ 22'\ 2''$. Itaque eiusdem longitudo erat anno a. Chr. 300. $= 1^0\ 12'\ 15''$. Hanc autem longitudinem anno 300 a. Chr. Sol assecutus est Martii m. 26. 4^h $23'$ medii temporis astron. Antiochiae in Syria.

9) Quod Vaillantius in opere de numis aereis Imp. in coloniis percussis pluribus locis scribit, arietem hunc in numis conspicuum anni Antiocheni initium significare, id non recte facit. Constat enim annos hos inchoatos esse auctumni tempore, vel ab Hyperberetaeo sive Octobri m. (quae est Scaligeri et Petavii et Norisii Ann. Syrom. III, 6. et Corsinii Fastis Att. II. p. 463. opinio), vel a Dio sive Novembri m. (haec est sententia Valesii in Annot. ad Euseb. de martyr. Palaestin. p. 173. ed. 1659. et ad Euagrii Hist. Eccl. II, 12. p. 72., atque Clintonis Fastis Hell. T. III. p. 365 sqq.), vel a Gorpiaeo sive Septembri m., quod probat Usherus et Idelerus Enchir. Chronol. T. I. p. 459 sq. Facilius ad Caesaris edictum, quo Antiochia libera ac sui iuris civitas pronuntiata est, quod Artemisio mense promulgatum est (v. diss. II. §. 1.), arietis signum referre possis, nisi eo tempore, quo Fasti Iuliani recipiebantur, Artemisius Maio Romanorum eique Zodiaci parti, quam Taurus obtinet, respondisset. — Begerus Spicileg. p. 8. arietem in numis inde repetit, quod Syriae gentes, Manilio teste (v. l. IV. p. 103, 7. ed. tert. Scal.) arietem coluerint. Verum eam ipsam religionem ab Antiochenis ad ceteras Syriae civitates propagatam esse existimo.

Digitized by Google

litatum erat. Veritus autem, ne torrentes Silpii montis aedificia subruerent et everterent, murorum fundamenta longius a monte, a fluvio propius, in planitie convallis [1]) exadversum Iopolin, ubi Bottia pagus fuerat, constituit. Primum fundamentum iactum est Artemisii mensis d. XXIV, prima post solis ortum hora [2]). Muris extruendis praeerat Xenaeus architectus [3]). Eos muros, intelligitur ex iis quae dicta sunt, aquilonem versus Orontis ripas praetexuisse, versus notum montis radices, sed magno distantes intervallo, spectasse. Nondum enim Seleuci urbs omne illud spatium complebat, quod postea Antiochia occupavit: sed quartam tantum, a Strabone [4]) docemur, magnae Antiochiae partem fuisse hanc Seleuci urbem, earumque partium unamquamque peculiaribus muris instructam, ita ut quattuor essent in una urbes. Incolas autem continebat Nicatoris urbs pristinae urbis Antigoniae. Haec enim urbs funditus tum deleta, omnisque, cuius usus erat, materia secundo flumine ad Antiochiae situm devecta est: unde intelligitur, eam Antigoniam, quae Crassi temporibus his locis stabat, postea denuo conditam esse [5]). Cives autem Antigonenses, qui partim Graeci partim Macedones erant, omnes Antiochiam simul traducti

---

1) *ἐν τῇ πεδιάδι τοῦ αὐλῶνος* Malal. p. 200. *ἐν τῷ λεγομένῳ αὐλῶνι* p. 347. Cf. etiam p. 233.

2) Haec omnia Malalas tradit, ex Annalibus, ut puto, Antiochenis. Sed quae de virgine caesa, hoc et aliis locis, ubi de condendis urbibus dicit, ab hoc homine narrantur, ea profecto incredibilia sunt. Quanquam etiam Eusebius Praepar. Evang. IV, 16. p. 97. ed. Steph. apud Laodicenos Syriae Minervae caesas esse virgines scribit. Nimirum a Christianis hominibus conficta ea esse videntur, ut urbium Fortunae, nam has caesarum virginum imagines dicebant, dirae superstitionis detestanda monimenta esse viderentur. De hoc fabularum genere quaedam composuit I. V. Franke Inscr. Richter. p. 469. Nomen *Αἰμάθη*, quod huic virgini indidit Malalas p. 200., nescio an mutandum sit in *Ἠμαθία*. Cf. supra §. 7.

3) Dignissimus hic homo qui addatur Artificum Catalogis Iuniano et Silligiano. Obscuriora sunt, quae Tzetzes Chil. VII, 117. v. 176., Seleucum *κτισμάτων ἐπιστάτας* fecisse Attaeum, Perittam, Anaxicratem, eosque de eadem re scripsisse.

4) XVI. p. 750.

5) Dio Cassius XL, 29.

Digitized by Google

sunt [6]). Quae ut incolas illos in se recipere posset, vetere urbe minor esse non poterat. Atqui Antigoniam septuaginta stadiorum ambitu fuisse novimus. Sequitur, ut Seleuci Nicatoris urbem, cum X tantum stadiorum latitudinem habuisse videatur, in XXV vel plurium stadiorum longitudinem porrectam fuisse statuendum sit. Sed praeter Antigonenses illos etiam Iopoleos et Casi aliorumque pagorum circumiacentium incolae Antiochiam collecti sunt, quanquam in ipsa etiam Iopoli, tanquam in Arce novae urbis, pars paganorum relicta est [7]). Denique etiam Iudaei, Iosepho teste [8]), a Seleuco Nicatore in civitatem Antiochiae recepti sunt, eodemque iure, quo Graeci et Macedones, et tum habiti esse et postea mansisse dicuntur. Alio loco [8*]) reges Syriae, idem scriptor narrat, post Hierosolyma ab Antiocho Epiphane deleta sacra templi utensilia, quae ex aere facta erant, omnia Iudaeis ad synagogen, quae Antiochiae erat, ornandam concessisse, et ut aequo iure essent ac Graeci iussisse. Et extabant iura ac privilegia Iudaeorum consignata in aereis tabulis, quas cum Antiocheni a Tito ut deleret, cupidissime flagitarent, ille populi, quem patria spoliaverat, in aliena urbe vindicem et patronum se exhibuit [8**]). Haec varia hominum turba alteram quasi urbem, priori illi adiectam sed muris tamen propriis segregatam, tenebat [9]), quae fortasse ex suburbiis paulatim ad hanc ampli-

6) Non Seleuciam, sicut Diodorus XX, 47. narrare videtur (nam locus Diodori perturbatus est, ita ut quae scriptoris mens fuerit non satis constet). V. Wesseling. ad l. p. 441, 98. Numerus Antigonensium, qui legitur apud Malalam p. 201. ͵εт', i. e. 5300, sine dubio corruptus est.

7) De his omnibus Malalas p. 347. (16 V.)

8) Antt. Iud. XII, 3. c. Apionem II, 4. Consentit Syncellus Chron. p. 274. Par. 520. Bonn.

8*) de bello Iud. VII, 3, 3.

8**) de bello Iud. VII, 5, 2. Civitatem Iudaeis concessam fuisse Iosephus Antt. Iud. XII, 3. inde evincit, quod gymnasiarchi, qui ceteris civibus oleum praestabant, Iudaeis, qui *ἀλλοφύλῳ ἐλαίῳ* uti religione prohibebantur, pecuniam pro oleo pendebant. Quod emolumentum ne Iudaeis a plebe Antiochena eriperetur, Mucianus atque Titus pervicerunt.

9) Sic Strabo l. l.: *τὸ μὲν οὖν πρῶτον αὐτῶν (μερῶν) ὁ Νικάτωρ συνῴκισε,*

Digitized by Google

tudinem excreverat. Iudaeis, ut Alexandriae, sic in hac urbe certas regiones attributas fuisse, vix dubitari potest. Ad hanc alteram urbem trahendum puto, quod Domnus s. Domninus chronographus [10]) tradit, Antiochiam urbem absolutam esse trigesimo ex quo prima fundamenta iacta erant anno, id est a. Chr. 270, undecimo Antiochi Soteris, qui Seleuco patri successerat. A quo Antiocho etiam nomen Antiochiae a multis urbi inditum esse traditur [11]): sed veriora tradere videntur, qui Seleucum patris sui honori hoc nomen tribuisse narrant [12]).

11. Cives Antiochiae vidimus plerosque fuisse Graecos et Macedones, id est homines, qui illis temporibus, quibus civilis vita et conditio cum ipsis nationibus quasi cognata existimabatur, multo meliore iure haberi deberent, quam Syriae pagani, qui agros vicinos incolebant, barbaramque maiorum linguam etiam Ioannis Chrysostomi tempore retinuerant [1]).

μεταγαγὼν ἐκ τῆς Ἀντιγονίας τοὺς οἰκήτορας .., τὸ δὲ δεύτερον τοῦ πλήθους τῶν οἰκητόρων ἐστὶ κτίσμα.

10) Apud Malalam p. 208. Cf. de nominis ambigua forma Bentleius ad Millium p. 73. Ox. 735. Bonn.

11) Iulianus Misopogone p. 347. ed. Spanh. Malalas p. 200. (84.) Lucianus ap. Tzetzam Chil. VII, h. 118. v. 170. Cedrenus p. 166. Par., qui scribit: Seleucum Antiochi patrem, Antigoniam denuo condidisse (*ἐπικτίσαι*, quod ex Syncello sumptum est) et Antiochiam dixisse.

12) Pausanias Chronogr. apud Malalam p. 204. Idem Pausanias ap. Tzetz. Chil. VII. h. 118. v. 167. Appianus de reb. Syr. 57. Iustinus XV, 4, 8. Dionys. Per. 918. et Eustath. commentar. p. 281. Bernh., qui *τοὺς παλαιοὺς* testes advocat. Alii ab eodem excitati de matre Antiochide narrant. — *Ἀντιόχου ἄστυ* Themistius Or. IV. in Constant. leg. Pers. p. 68, 22. Dind., Antiochi muros Claudian. in Eutrop. II, 570.

1) V. Io. Chrysost. Homil. 19, 1. T. II. p. 189 a. de sanctis martyr. I. p. 651 a. *Συρίων δῆμος μεθύων καὶ κορδακίζων*, dicit Iulianus Misopogone p. 350. Spanh. Cf. Theodoret. hist. relig. 14. de Maesyma Syro Antiocheno. Etiam pagi Antiochiae vicini (*κώμας μεγάλας καὶ πολυανθρώπους* dicit Libanius p. 348.) plerique barbara nomina habent, velut pagus *Charandama*, non multum dissitus a Daphne (Vita S. Marthae in Act. Sanct. Maii T. V. p. 409. 414.), pagus *Gandigora* sive *Gandigura* eiusdem tractus (ib. T. V. p. 415. 416.), pagus *Ghisira* in agro Antiocheno (Assemanni Biblioth. V. II. p. 323.). Alius eius regionis vicus

Digitized by Google

Hinc Antiochenis et sub Regibus et a Romanis imperatoribus species quaedam libertatis relicta [2]). Cives omnes divisi in XVIII tribus, quae, sicut tribus urbanae Romanorum, urbis certae partes erant [3]). Huius populi sive δήμου [4]) erant comitia, quae Graecorum more in theatro habebantur: etiam Romanorum temporibus Antiochensibus hic consultare mos erat; ubi et Mucianus, Syriae praeses, cum milites in verba Vespasiani adegisset, Antiochenos allocutus est, satis decorus ille etiam Graeca facundia [5]). Etiam Titus, post Hierosolyma expugnata Antiochiae cum subsisteret, ut concioni populi interesse dignaretur, scilicet ut populi in adulationem effusissimi acclamationes audiret, magno studio nitebantur ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος [6]). Senatum autem sive decuriones Antiochiae constat, Iuliani certe temporibus, CC virorum fuisse [7]), lectum ex gentibus, quae iam per plures aetates eundem statum civitatis et fortunarum conservassent [8]).

---

dicitur *Apate* (V. S. Simeonis iun. Act. Sanct. Maii T. V. p. 383.); alius *Thracon* (Stephan. Byz. s. v.).

2) *Antiochia libera*, Plin. N. H. V. c. 21. s. 18.

3) De tribubus Antiochenis Libanius Artem. p. 236. Antioch. p. 354. ad Theodos. p. 651. Libanii tempore singulae tribus singulos pugiles ad Dianae solennia Meroae celebranda mittebant. Etiam Alexandriae civitas in φυλὰς divisa erat. Ioseph. c. Apion. II, 4. Tribuum partes fortasse erant γειτονίαι, velut Ostracine (Euagr. II, 12.), Scepine (diss. II. §. 8.).

4) Libanius p. 321.

5) Tacitus H. II, 80.

6) Iosephus de bello Iudaeo VII, 5, 2. De plebis iudiciis in theatro idem VII, 3, 3.

7) Iulianus Misopogone p. 367. Spanhem.

8) Hoc multis verbis dicit Libanius p. 315. Zosimus III, 11. p. 140. ed. Bonn. narrat Iulianum Antiochenorum senatum multum auxisse, cum omnes ad eum ordinem admitteret, qui vel a patre vel ab avo materno senatore oriundi essent. Habetur ea lex a. 362. lata in Theodos. Codice l. XII. t. 1. l. 51. V. Gothofredus amplius de ea re disserens, ad Theod. Cod. l. l. T. IV. p. 414. ed. Ritter. Ipse tamen Iulianus Misopog. p. 361. queritur, hunc Antiochenorum senatum quaestionem in auctores incendii, quo Daphnaea aedis consumpta fuerit, negligere et omittere. Cf. Iulianus Epist. ad Libanium p. 399. Spanh. Libanius pluribus locis orationis περὶ δεσμωτῶν, Antiochicae, aliarum orationum hoc collegium amplissimum magnis laudibus effert.

Digitized by Google

Ne dignitatem eam nimis appeterent, munera, quae Graeci λειτουργίας dicunt, iis erant imposita [8*]. Praeerant his inferioribus temporibus Antiochiae, sicut aliis municipiis, duumviri, qui in ludis edendis, quorum non alius populus amantior, non raro paternam omnem hereditatem profundebant [9]. Hi etiam agros publicos, qui Antiochenae civitatis erant, maiores ipsi inter se diviserant et possidebant, minores civibus aliis, quos sublevare vellent, arandos concedebant [10].

12. Non retineor hoc loco, quanquam alia iubet ratio operis mei, quominus praeter ostenta superstitiose credita etiam veras fati leges, quibus urbs hoc loco, his civibus condita, regi deberet, explicare studeam. Mixta erat Antiochena civitas ex Graeca comitate et eruditione [1] atque barbaris moribus, quorum a contagio caveri vix poterat [2], locoque sita terrarum amoenissimo et fertilissimo, caelo denique mitissimo. Hinc nusquam effusior luxuria, aucta illa Syriae religionum molli furore, quo populorum eius regionis mentes attonitae tenebantur. Hinc Daphnaea sacra quanquam Graecis numinibus, Apollini et Dianae, dicata erant, spirabant tamen eo in delubro omnia animum fervidius aestuantem et impotentius furentem. Hinc sambucistriarum et *Ambubaiarum collegia* [3], quorum gratissima sedes erat Antiochia, hinc orchestrae antiquus honor ad mimo-

---

8*) Libanius περὶ τῶν δεσμωτῶν p. 455. Cf. Malalas p. 295. (126.)

9) Hinc magistratus Antiocheni donis Principis iuvantur, ut sumptibus illis sufficere possint. V. Theodosii iun. Constitutionem, Theodos. Cod. l. XII. t. 1. l. 169. et cf. Gothofredus T. IV. p. 529. ed. Ritter.

10) Libanius pro rhetoribus p. 211. R.

1) Cf. Cicero pro Archia poëta 3. Elegantia Antiochenorum de saltationibus iudicia laudat Lucianus de salt. 76.

2) Urbem semibarbaram dixit propheta Tyanensis. V. Philostratus Apoll. Vita I, 16. p. 19. De sacris Graecis et barbaris mixtis Idem p. 20. ed. Olear.

3) Nota haec ex Livio et Horatio. Cf. Libanius p. 363., qui Antiochenos dicit ad lucernarum, quibus urbs noctu collustrabatur, lumina pervigiles alios fabrilem operam navare, alios saltare et cantare, Vulcanoque et Veneri sic noctem communem haberi.

Digitized by Google

rum lascivas facetias aliosque thymelicos lusus translatus [3*]), et Romae mores tum primum insanabili ulcere sauciati, cum — ut satirici poëtae verbis utar — *Syrus in Tiberim influxisset Orontes.* At non sic tamen animos irretiverat et fregerat ea morum mollities, quominus interdum etiam saevo et cruento exardescerent furore, et Antiocheni magna turba ruerent in discrimina tanquam ad convivia. Hinc crebrae seditiones, bella ab urbe Regibus suis mota; post animus etiam in Imperatores Romanos procax et faceta quadam dicacitate lasciviens [4]); et Imperatores civitati modo ambitioso operum publicorum splendore blandientes modo propter iniurias acceptas infesti. De lascivia illa atque hilaritate aliquid etiam ad rhetorum quae in Syria florebat sectam manavit [5]). Inerat tamen huic

---

3*) Quantopere mimis et thaumatopoeis gavisus sit Antiochus Cyzicenus, narrat Diodorus Exc. de Virt. et Vit. L. XXXIV. p. 606. (148. ed. Dindorf.)

4) Turbidum et Antiochiae et Alexandriae vulgus dicit Ausonius Clarar. Urb. II. De facetis Antiochenorum dictis, quae ii *ἀπὸ τῆς ἱπποδρομίας καὶ τῶν ἔξω θεάτρων* etiam in ecclesiam transferebant, Io. Chrysostomus de Lazaro I, 11. T. I. p. 723. ed. Montfauc. Sic Verus Imp. risui fuerat omnibus Syris, i. e. Antiochenis et Laodicenis, quorum multa ioca in theatro in eum dicta extabant. Capitolinus Veri V. 7. Iisdem armis, id est facete dictis, pro Cassio pugnaverant. Capitol. M. Aurel. 25. Nulli rei idoneos esse Antiochenos nisi *ἐπὶ τὸ χαριέντως καὶ μετὰ παιδιᾶς ἀποσκῶψαι*, Severus imperator dicit apud Herodian. II, 10. Cf. Casaubon. in Spartiani Hadrian. 14. De *εὐτραπελίαις* et *σκώμμασι* Antiochenorum in Iulianum coniectis ipse Imperator Misopogone p. 344. et saepe; *ἀναπαίστους* appellat p. 365.; sicut alii Alexandrinorum ioca, quae significat Lucianus Lapith. 18. *ἀνάπαιστα συγκροτῶν διεξῆλθε αἰγυπτιάζων τῇ φωνῇ.* Cf. Ioannes Antiochenus in Exc. Vales. p. 844. Sed etiam Iovianum prosciderunt iidem homines dicteriis et parodicis versibus passim in viis sparsis parietibusve affixis. V. Suidas v. Ἰοβιανός. Etiam Iustiniani temporibus Ἀντιοχέων ὁ δῆμος (*εἰσὶ γὰρ οὐ κατεσπουδασμένοι, ἀλλὰ γελοίοις τε καὶ ἀταξίᾳ ἱκανῶς ἔχονται*) *πολλὰ ἐς τὸν Χοσρόην ὕβριζόν τε ἀπὸ τῶν ἐπάλξεων καὶ ξὺν γέλωτι ἀκόσμῳ ἐτώθαζον*, scilicet contumelias mox sanguine suo expiaturi. Procopius de bello Pers. II, 8. *Ὑβρίζουσαν* dicit Antiochiam Apollonius Tyan. apud Philostr. III, 58. p. 139. ed. Olear.

5) Syrophoenicas omnes, Eunapius scribit, habere in sermonibus *ἡδὺ καὶ κεχα-*

Digitized by Google

animorum temperamento etiam stimulus quidam ad altiora excitans. Inde postquam meliorum religionum igniculus mature huic civitati medullitus insedisset: gliscens earum favor, magna probitatis et sanctitatis exempla, ingens Christianae fidei martyrum caterva. Ne tamen credas plebis mores cum sacris esse mutatos: etiam Iuliani tempore eadem in Maiumae ludicro, quod ex antiqua Syrorum religione superfuisse puto, apparebat lascivia, quam olim fuerat paganorum [6]; pluresque, teste Imperatore, Antiochiae mimi quam cives. Sed quo maiore aestu horum hominum animi urebantur: eo acrius etiam pugnatum est cum infirmitate humanae naturae. Et monebant dirissima ostenta de sorte humana et suppliciis divinis. Hinc Antiochiae imprimis renovata Gymnosophistarum Indorum crudelis palaestra; hinc strenuissimi illis locis fanaticae superstitionis athletae, Simeo-

---

ρισμένον τι, quod ab Atticis μυκτὴρ (irrisionis sanna) et ἀστεϊσμός appelletur, p. 133. Steph. p. 98 sq. Boissonad.

6) Maiumae ludicrum tertio quoque anno Artemisio sive Maio mense per XXX dies, secundum Graecorum persuasionem Baccho et Veneri, pervigilio multis cum facibus et lampadibus magna laetitia et luxuria celebrabatur. Haec de Antiochena Maiuma Malalas p. 284. (101. C. D.) Libanius περὶ τῶν ἀγγαρειῶν p. 555. R., cum de inhonestis solennibus loquitur, quae nonnulli Daphnen introduxissent, a bono principe sublatis, sed a luxuriosis hominibus restitutis, haec sine dubio intelligit. Cf. idem περὶ τῶν δεσμωτῶν p. 455. ad Timocratem p. 385. Aliis in oppidis ad mare agebatur; atque etiam in Maiuma Antiochenorum natantes meretrices in theatro spectabantur, si ad Maiumam spectant quae Io. Chrysostomus refert homil. VII. in Matth. T. VII. p. 113. ed. Benedict. Hinc Maiumas Gazaeorum portus. Cf. Iulianus Misopog. p. 362. Spanh., Arcadii et Honorii edictum Theodos. Cod. XV, 6. Iustin. Cod. XI, 45. (a. 396. civitati redditum, denuo tollebatur hoc ludicrum a. 399.), et de Ostiensi atque Constantinopolitana Maiuma Suidas s. v. Multa de hac re Gothofredus in Theodos. Cod. l. XV. tit. 6. T. V. p. 404 sqq., sed non omnia diligenter examinata; nam quod Maiumam Loo mense per VII dies celebratam dicit (ex Iuliano p. 361. Theodoreto III. 14.): ea ad Apollinis Daphnaea sacra pertinent. Vocem ex orientalibus linguis repetendam duco, quanquam antiqui ipsi eam ad Maium mensem transtulerant. Rivini dissert. de maiumis, maicampis, roncaliis (in Graeviano diss. syntagmate) aliena inter se miscet. Cf. etiam Müller de genio saeculi Theodos. p. 41. Lobeck Aglaoph. p. 1023.

Digitized by Google

nes illi Stylitae; et quo mollius in urbe vivebatur, eo severior erat diaeta anachoretarum, quorum cellis rupes urbi impendentes refertae erant, et qui duro montium solo tenuem, qui sufficiebat, victum surripere laborabant [7]). Omnino animus huius nationis ad omnem superstitionem propensior; et praeter magicarum caeremoniarum incantamenta (quibus etiam Germanicus devotus esse ferebatur) inferioribus temporibus genethliologorum studium, ex Chaldaea et Babylonia illatum, mentes ita tenuit ut nusquam magis [8]); ac si orientalibus scriptoribus fides est, etiam Graecanicorum deorum templa, ut Saturni et Martis, pro delubris planetarum stellarum habita sunt [9]). Quas res in Gnosticam Saturnini haeresin, quae ex Antiochia maxime progressa est, non exiguam vim habuisse apparet. Sed redeo unde digressus sum.

13. Nunc quaerenti de forma et figura urbis a Seleuco Nicatore conditae, nulli dubium videbitur, iam tum ad regulam quasi et normam extructas esse plateas et fora et aedificia, eamque habuisse et aequalitatem

7) De his Theodoretus Eccl. Hist. IV, 28. *Καὶ τὸ ὄρος δὲ τὸ τῇ μεγίστῃ παρακείμενον πόλει λειμῶσι* (sanctitatis) *ὡραΐστο.* De vita monachorum in montibus Antiochiae Chrysostomi Vita ap. Montfauc. T. XIII. p. 95. et ipse Chrysostomus in Ep. ad Ephes. hom. VI, 4. T. XI. p. 44. Hinc Macedonius post turbas sub Theodosio Magno motas descendit, et Principis Legatos acerbe castigavit. Nicephorus XII, 44. *Οἱ τὰς ἀκρωρείας τῶν ὀρέων οἰκοῦντες μοναχοὶ* in eadem re commemorantur a Glyca p. 477. Bonn. (257. Par.). A Libanio eremitae traduntur e spelaeis descendisse ac per plateas urbis hymnos decantasse, *περὶ τῶν δεσμωτῶν* p. 458.

8) Etiam Christianos genethliaca superstitione laborasse et incantamentis multos operam dedisse queritur Io. Chrysostomus in Epist. ad Cor. hom. IV, 6. T. X. p. 32. Montf. Cf. in Ep. ad Ephes. hom. VI, 4. T. XI. p. 44. Sub Iustiniano Amantius Comes in Orientem missus Antiochiae astrologiam e mentibus evellere multa cum violentia, etiam librorum concrematione, intendit. V. Nicephorus Vita S. Simeonis iun. in Act. Sanct. Maii m. T. V. p. 372. De acerbissima magicorum librorum conquisitione a. 374. facta, qua ipse Io. Chrysostomus in vitae discrimen adductus est, v. Chrysost. T. IX. p. 293. et Vitam eius T. XII. p. 96. De alchymisticis Antiochenorum studiis v. Theophanes (sub Anastasio) p. 103. Malalas p. 395. (39.)

9) V. Hadschi-Chalifa *Gihân-Numâ* p. 343.

Digitized by Google

et magnificentiam speciei, qua inter omnes urbes insignem fuisse Antiochiam, si ad Seleuci Callinici et Antiochi Epiphanis tempora devenerimus, apertius demonstrare licebit.

Eodem iure sumi poterit, multis et splendidis operibus conditorem urbem suam auxisse. Verumtamen paucorum tantum memoria extat. Bottii Iovis delubrum ab Alexandro conditum esse supra memoravimus; quare quod Malalas [1]) scribit, a Seleuco constitutam esse eam aedem eodem tempore, quo fundamenta Antiochiae iacta essent, de amplificato potius delubro intelligemus.

14. Plura de **Fortuna Antiochensium** dicenda habeo. Ac primum quod ad nomen huius numinis, Τύχη Ἀντιοχείας s. τῆς πόλεως [2]) attinet, id non Fortunam omnium rerum gubernatricem ab Antiochensibus cultam, sed ipsius Antiochiae sortem divinitus constitutam, sive quod ipsi civitati numen inesset, significabat. Itaque recte Romani hoc nomen in suum sermonem convertentes Tychen eam Genium Antiochenum dixerunt; sic enim Ammianus [3]) nuncupat, et sic etiam in numis [4]) adscriptum videmus eidem speciei muliebri, qua Τύχην illam repraesentari mox videbimus. Denique numis illarum regionum et scriptorum testimoniis inter

---

1) p. 200. (84.)

2) Sic Malalas p. 201. (85.) 276. (117.)

3) Hic Iulianum narrat Antiochiae Kalendis Ianuariis adscendisse gradile Genii templi. XXIII, 1, 6. Non recte Wagnerus P. R. Genium hic significari scripsit. Rectius multo Valesius Euagrium I, 16. conferri iubet. In ea notione, quam superiore loco proposui, puto litem tolli diversarum de hac Fortuna VV. DD. opinionum. Has nuper prolixo commentario recensuit I. V. Francke Inscript. Richter. p. 126. 468., ubi de Aeresiorum Tychaeo dicit. Cuius signum Τυχαία (i. e. στήλη) appellatur, sicut a Malala p. 58. D. Ven. statua Tyches Nyssaeae. Quod autem Francke p. 470. secutus Lobeckium Aglaoph. p. 595. contendit, Tychaea Graecarum urbium Romani moris imitatione orta esse: id falsum esse hoc ipsum Antiochiae Tychaeum fateri cogit.

4) V. Mionnet *Description de Médailles* T. V. p. 214. n. 515. Beger. Thesaur. Brandeb. III. p. 185. Herculani erutum est sigillum Fortunae cum titulo: *Philemonis Secu. Mag. Gen. C.* i. e. Genio Coloniae. V. Antiqq. Herculan. T. VI. tb. 28. et explicationem Academicorum p. 109.

Digitized by Google

se collatis apparet, eas species, quas archaeologi nunc urbium deas ipsasve urbes appellant, ab antiquis tum temporis *Τύχας* urbium dictas fuisse. Haec igitur Antiochiae Fortuna statuam habebat aeream auratamque. Fecerat eam, quod Pausanias refert [5]), Eutychides, Sicyonius, Lysippi discipulus [6]): quae artificum secta tunc omnium maxime florebat, et regum Macedonicae stirpis desideriis satisfacere valebat. Sedisse hanc statuam supra Orontem fluvium, Malalas significat [7]): quod quemadmodum intelligendum sit, ex numis Antiochenis intelligitur, quos eandem statuam referre dubitari non potest. In his habemus mulierem stolatam velatamque, turrita corona ornatam, saxo insidentem, quo Silpium montem significari verissima est opinio [7*]). Sinistra manu saxo huic inniti videtur (quanquam hoc in numis non satis apparet), dextra spicam frumenti tenet, quae quidem saepe cum palma commutata est, quod victoriae vel imperii caussa factum esse videtur, quae Antiocheni principi cuidam gratulabantur [7**]). Sub pedibus denique huius mulieris iuvenis attollitur, dimidio fere corpore

---

5) Pausaniae VI, 2, 4. verba sunt: *Εὐτυχίδης Σικυώνιος παρὰ Λυσίππῳ δεδιδαγμένος· ὁ δὲ Εὐτυχίδης οὗτος καὶ Σύροις τοῖς ἐπὶ Ὀρόντῃ Τύχης ἐποίησεν ἄγαλμα μεγάλας παρὰ τῶν ἐπιχωρίων ἔχον τιμάς.* Esse hanc statuam in numis expressam, vidit Viscontius Mus. PioClem. T. III. ad tab. adi. A, 8. p. 72., quem sequitur Gerhardus in Descr. Romae T. II, II. p. 265. Viscontius si Malalam adhibuisset, nihil mihi dicendum reliquisset. De sacrificiis huic Fortunae oblatis scribit etiam Malalas p. 201.

6) De Eutychide nuper dixit Raoul-Rochette *Lettre à Mr. Schorn* p. 73. 74. Idem V. D. l. l. p. 32. Fortunae Antiochenae caput, coniectura probabili sed non plane certa, agnoscit in gemma scalpta ab eodem Aspasio, qui capite Palladis ornatissime caelato inclaruit. V. illud caput corona murali insigne in Museo Worsleyano tab. ad p. 43. n. 6. Cf. annot. 12.

7) p. 276.

7*) Vaillantii, Num. aerea Imp. in colon. percussa T. II. p. 24. 25., et Begeri Thes. Brandeb. T. I. p. 734. Viscontius (Mus. PioClement. T. III. ad tab. 46.) quod Trapezontem hunc montem dixit, non recte fecit. Trapezon enim in campo Antiocheno, ab urbe versus aquilonem dissitus erat. Strabo XVI. p. 751.

7**) In numis Tigranis et Imperatorum plerisque dea dextra palmam tenet; spicas humum versus porrectas in numis Antiochiae coloniae, in quibus non ad dextram sed ad laevam spectantis conversa est.

Digitized by Google

ex undis eminens; hunc iuvenem Orontem esse fluvium, iam apertum est 8). Deam sic figuratam conspicimus in numis, qui Antiochiae sub Tigrane Armeniae rege tum Syriam obtinente 9), et deinde Augusto et Tiberio imperantibus 10), postea sub Traiano, Commodo, Elagabalo, Severo Alexandro aliisque signati sunt 11); atque in aliis, qui quod Imperatorum nominibus non signati sunt, autonomi appellantur; eiusdem autem deae caput velatum turritaque corona insigne maxime in numis urbis extat, qui ultimis Seleucidarum temporibus provenerunt, sed postea in numis sub Imperatoribus cusis sexcenties recurrit 12). Sed superest etiam statua Va-

8) Fluvios iuvenum specie exhiberi, notissimis demonstrant exemplis Hipparis, Aesarus, Acragas, Melas, Cydnus, Hermus, Pyramus, alii.

9) V. prae caeteris Mionnet T. V. p. 108. n. 939 sqq. Cf. Eckhel. D. N. I, III. p. 247. Numus huius formae ex forma sulphure expressa adumbratus est in tab. adi. d. Cf. Van Damme Numi regum tb. 69. Pellerin *Médailles de Rois* pl. 13.

10) Ab a. XXV. usque ad XLV. Actiacae computationis (v. Mionnet p. 156. n. 74 sqq. 157. n. 83 sqq.), interdum cum titulo Ἀντιοχέων μητροπόλεως (a. XXXVI. XLII.). Notissimus, etiam propter Christianam annorum computationem, numus sub P. Quintilio Varo Syriae praeside (cuius in Syros acerbitatem nostri populares ulti sunt) ap. Gessnerum Num. Pop. X, 19. et in Mus. Sanclement. tb. 6. n. 12. 13. in tab. adi. b. Cf. de eo Norisius Ann. Syromaced. diss. III. c. 7. p. 247. Vaillant in Hist. Acad. Inscript. T. II. p. 534.

11) Mionnet p. 175. 177. (de argenteis); p. 205. 206. (de aereis). Cf. Vaillant Num. aerea Imp. in col. perc. II. p. 33. 107. et pluribus locis. Numus qui est apud Vaillant p. 161., repetitus est in tab. adi. c. Alium v. apud Viscontium Mus. PioClem. III. *tv. agg.* A, 8.

12) Extat hoc caput in numis ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΤΗΣ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ, Seleucidarum a. 225. et sequentibus signatis quo tempore Antiochia monetae feriendae ius regulis suis extorsisse videtur; v. Eckhel. D. N. I, IV. p. 268. Mionnet p. 149. n. 17 sqq., et in numis inter a. 104. et 207. Antiochenae comput. cusis, Mionnet p. 159. n. 101 sqq. Cf. aerei sub Philippis signati, apud eundem p. 208. n. 485. 210. n. 496 sqq. — V. hoc Antiochiae caput apud Beger. Thes. Brandenb. T. I. p. 510. Gessner. Num. pop. X, 18 sqq. Pellerin *Recueil de Méd. de peuples* V. III. pl. 67. n. 8. 9. et in tab. adi. a. In postica horum numorum saepe ara (Tychaei, puto), saepe aries, neque raro cum stella

Digitized by Google

ticani Musei, quae Fortunam illam Antiochenam perinde ac numi proponit (V. tab. adi. B.). Quae quanquam rudiore opere facta est, post Septimium Severum ut videtur, quo tempore Syriacorum sacrorum Romae summus erat honos [13]): inest tamen in positura membrorum et vestium dispositione aliquid, quod Lysippi discipulo non indignum videri possit. Sed ut in describendo hoc Eutychidis opere progrediamur: Antiochiae urbi additae erant statuae regum Seleuci et Antiochi, caput illius corona redimientium [14]): quemadmodum his temporibus saepe et civitates et reges ab aliis populis principibusque aut a Virtute coronati fingebantur. In numis tamen statuarum sic compositarum nullam invenio imaginem, nisi quod Severi Alexandri aereus numus Antiochenum illud numen ab hoc ipso Imperatore coronatum, adstante Fortuna repraesentat [15]). Illud autem de Antiocho et Seleuco aut ad Antiochum Seleuci Nicatoris filium cum patre coniunctum referendum est [16]); aut statuendum (quod minus probabile), statuas eas postea, eo fortasse tempore quo Seleucus Callinicus et Antiochus Hierax coniuncti Syriae imperium restituerant, Antiochiae imagini additas esse.

15. Etiam hoc de hac statua traditum habemus, positam eam fuisse ἐν τετραχιονίῳ, id est in aedicula ex quatuor columnis composita, undique

---

(v. §. 9.) conspicitur. Idem Antiochenae Fortunae caput, subiecto ariete, iaspidi rubro insculptum vidi inter cimelia Vindobonensia.

13) Observavit hoc Viscontius Mus. PioClement. T. III. ad tab. 46.

14) Malalas p. 276.

15) Vaillant Num. aerea Imp. in coloniis percussa V. II. p. 162. (Hic numus redditus est in tab. adi. f.) Mionnet p. 207. n. 479. Itidem in onyche caeruleo et nigro, qui in thesauris Caesarei Musei servatur, Antiochena dea insculpta est, Oronti insidens, laeva cornu copiae tenens, coronata ab Imperatore laeva adstante; dextraque parte adstans Fortuna, cornu copiae et gubernaculo insignita. — Fortuna Antiochiae sola extat in iaspide rubro Musei Berolinensis. V. Tölken *Erklärendes Verzeichniss* 1837. p. 237.

16) Antiochia cum conderetur, Antiochus hic iam XXV annorum erat, quod intelligitur ex Porphyrio apud Eusebium, Armeniaci contextus p. 185. Cf. Clinton Fasti Hellen. T. II. p. 309 sq.

Digitized by Google

perlucente [1]). Malalae tamen de ea re verba fortasse aliter interpretaremur, nisi numi iterum commentarii vice adessent, in quibus mulier illa turrita quasi intra templum tetrastylum, Ionicis columnis et tecto singulari ratione fastigato insigne, posita conspicitur [2]). In quibus qui supra hanc aediculam fictus est, aries, sicut superiore loco cum augurio illo, ita cum numine urbis tanquam faustum eius sidus coniunctus est. Horum autem *τετρακιονίων* non dubitandum quin usus fuerit eo tempore pervulgatus, atque ab Antiochia ad barbaras Syriae urbes, quarum opera publica ad exemplar Antiochiae extructa fuisse pluribus documentis ostendam, translatus. Nam etiam Palmyrae in magna illa platea, quae per mediam urbem dirigebatur, tetracioniorum extant rudera [3]), quae non sedentibus quidem, sed stantibus signis accommodata fuisse, forma eorum cum tetracionio Antiocheno comparata, apertum fit; idemque structurae genus Gerasae in magna platea columnata observatur [3*]).

De loco, quo haec Antiochiae statua posita fuerit, supra fluvium eam

---

1) Malalas p. 276., quo loco obscurius dicitur *στήσας ὑπεράνω τεσσάρων κιόνων — στήλην.*

2) Numi huiusmodi signati sunt inde a temporibus Philippi maioris ad Valerianum usque. Mionnet T. V. p. 209. . . 214. Vaillant Num. aerea Imp. in colon. percussa T. II. p. 278. 289. 296. et al. locis. Museum S. Clement. tb. 34. n. 376 sq. In tab. adi. e.

3) Wood Palmyra tb. 32. Cf. tb. 1, l. o. 2, 10. Cassas tb. 53., in qua tabula praeter quattuor tetracionia, quae in media fere porticu tetrasticho composita sunt, aliud indicatum est idque maius propius ad Neptuni quod vocant templum, a magna porticu septentrionem versus.

3*) Burckhardt *Travels in Syria* p. 255. 262., qui notat, etiam hic quaterna tribunalia sive podia sic plane, ut in Palmyrae ruderibus, in platea illa disposita esse. Statuarum in iis repositarum vestigia agnoscit Buckingham *Trav. in Palestina* p. 379. Tetracionii exemplum Du Cangius in Glossario med. Graec. ex Epiphanio de locis SS. affert p. 1551. Nescio an idem aedificii genus sit tetrastylum, quod Antoninorum tempore in Actis fratrum Arvalium memoratur. V. Marini Act. fr. Arvalium P. I. p. 277 sq., et quae idem ex aliis titulis affert p. 301.

Digitized by Google

collocatam fuisse, relatum legimus [4]). Postea eadem cum tetracionio suo translata est in Nymphaeum theatri, in quo Traiani temporibus erecta esse traditur [5]). Hoc Nymphaeum ubi et quale fuerit, alio loco declarabitur. Inferioribus temporibus Tychaeum s. Genii templum Antiochenorum memoratur [6]), quod Theodosio iuniore imperante in templum S. Ignatii, martyris Antiocheni, conversum est [7]). Id Tychaeum nescio an simile fuerit illi, quod a Sophista quodam, sive Libanio sive Nicolao [8]), descriptum habemus, quod a Pantheo Agrippae specie et distributione partium non multum diversum fuisse crediderim [9]).

Praeter hanc Antiochiae Fortunam etiam Antigoniae Tyche pristinis ex sedibus avecta Seleuci urbi ornamento fuit. Etiam haec statua aerea erat et tetracionio imposita. Ara ei addita erat, ipsa cornu copiae tenebat. Quod cum in simulacrum Fortunae cadat, quod in numis Deme-

---

4) ὑπεράνω τοῦ ποταμοῦ, Malalas p. 201. De nomine Αἱμάθης supra §. 10. n. 2. dictum est.

5) Malalas p. 276. Nam eo loco de eadem statua dici, quanquam ab ipso Malala ut videtur non intellectum, apertum tamen est.

6) Iulianus in Misopogone p. 346. Spanh. Ammianus XXIII, 1, 6. Libanius ὑπὲρ τῶν ἱερῶν T. II. p. 201. R.

7) Euagr. Hist. Eccl. I, 16. Nicephorus XIV, 44. Act. Sanct. Febr. mens. T. I. p. 34.

8) Libanius T. IV. p. 1113. ed. Reiske. Nicolai Progymnasmata in Rhetor. Graec. ed. Walz. T. I. p. 408.

9) Erant enim in muro, nisi fallor, totum aedificium ambiente et in orbem circumducto duodecim semicirculi, binis utrinque columnis exornati, in quibus duodecim dii stabant. Summum locum tenebat statua Soteris τοῦ οἰκιστοῦ (Ptolemaei Soteris, i. e. primi, puto), qui omnia frugum genera, quibus civitas nutriebatur, manibus tenebat. In media aede collocatum erat Fortunae simulacrum, a qua Terra coronabatur, quae Alexandrum corona ornabat. Persuasi mihi, hoc Tychaeum Alexandriae fuisse in acropoli (nam Museum non longe dissitum fuisse traditur) extructumque esse a Philadelpho, qui patrem suum Soterem consecravit. Adiectae erant etiam ceterorum regum, Ptolemaeorum ut puto, aereae imagines. Cf. Aphthonii Progymnasm. c. 12. p. 108., 1. ed. Walz., et quae de ea quaestione (cui expediendae hic non vacamus) scripsit Heffter in Zimmermanni Ephemer. 1839. p. 388.

Digitized by Google

trii Soteris conspicitur; fere adducor ut hac Antigoniae Tychen significari existimem [10]). Quanquam, cum rationes afferre nequeam, quae hunc potissimum regem adduxerint, ut veteris Antigoniae honorem instauraret, praestabit fortasse hanc mulieris figuram Syriae terrae appellatione distinguere. Ceterum plurimae Syriae, Euphratensis maxime, et Asiae minoris, maxime Ciliciae, urbes Fortunas suas simili specie coluerunt, quarum innumera documenta in numis supersunt [10*]).

16. Cetera signa et monumenta, quae a Seleuco Antiochiae posita fuisse memoratur, in margine subnotasse sufficiet [1]): cum omnium maxime

10) V. de his numis, Seleucidarum a. 158. et in sequentibus signatis, Mionnet T. V. p. 43. n. 364. Quae in tab. adi. g. descripta est, ex Viscontii Iconogr. Graeca tb. 46. n. 26. sumpta est, cf. Van Damme Num. regum tb. 37. Mulier ibi conspicitur solio insidens, quod Tritonidis (s. ut vulgo dicunt Sirenis) figura sustinetur, dextra scipionem, sinistra cornucopiae tenens. Quae si pro Antiochensium Fortuna habetur: id aperte pugnat cum iis quae supra attuli. (Quanquam etiam haec non raro in numis Tigranis cornucopiae sinistra tenens fingitur. Eckhel. D. N. I, III. p. 247. Mionnet T. V. p. 108. n. 944: sed reliqua omnis Antiochensium Fortunae species differt.) Quod autem Malalas p. 201. scribit, Antigoniae Tychen a Demetrio Poliorcete post Seleuci obitum Rhosum in Cilicia translatam esse: id non potest non esse falsum, cum Demetrius Seleuci hospitio exceptus ante hunc regem obierit. Fortasse hoc de Demetrio Sotere acceptum ad Poliorcetam imperite transtulit scriptor ille.

10*) Quid quod Seleucidarum regum potentia latissime patente diffusus hic typus etiam ultra fines regnorum Macedonicorum manavit. Certe Indus fluvius in numis regis AZOY eodem modo quo hic Orontes repraesentatur. V. Rad. Rochettius *Deux. Supplément .. sur q. méd. Gr. de la Bactriane et de l'Inde (Journ. des Savans* 1836.) *p.* 45.

1) Memoratur statua aerea Minervae *φοβερά* a Malala p. 201; fortassean haec eadem sit, quae in numis Seleuci I elephantorum curru vecta dextra hastam vibrans, laeva scutum protendens conspicitur. Eckhel. D.N. I, III. p. 212. Mionnet *Descr.* V. p. 4. n. 20—22. Hanc Minervam *φοβεράν* cum Iove Ceraunio (et hoc Seleuci opere) Malalas narrat Pompeii temporibus a Byblo quodam Antiochia avectam et Romae in Capitolio dedicatam esse, p. 212. (89.) Certius definio, eos numos, qui equi frenati et cornuti protomen exhibent (Eckhel. D. N. I, III. p. 211. Mionnet *Descr.* V. p. 2. n. 1. p. 4. n. 23.: in tab. adi. m., ex opere Van Dammii Num. regum tb. 20, 3. et Viscontii

Digitized by Google

hoc loco postulari videatur, ut de Daphnes delubro dicam, quod ab Antiochiae antiquitatum memoria omnino seiungi non potest.

Hic locus terrarum facile amoenissimus et qui mox tantam celebritatem adeptus est, ut ipsa magna urbs, tanquam delubri additamentum, Ἀντιόχεια ἡ ἐπὶ Δάφνῃ sive πρὸς Δάφνην appellaretur 2), iam a primo rege, Seleuco Nicatore, eximie ornatus esse traditur. Hic enim, cum omnino loca occidentem versus urbi subiecta arbustis nemoribusque laetius florerent quam caetera 3), locum nativa pulcritudine, convallium amoenitate (τέμπεα Δάφνης dicit Dionysius Periegeta 3*)) et perennibus aquis lucorumque umbra omnium maxime conspicuum elegit, quem Pythio 4) Apollini

---

Iconogr. Graeca tb. 46, 1.) ad eum equum, quo vectus Seleucus Antigoni manus effugerat, respicere. Huius enim caput, pone adiecta casside aurata, ex marmore posuerat Seleucus in regione suburbana trans Orontem, Malal. p. 202. Equi frenati caput et cassidem iuncta videre est in sarda, cuius ectypum vulgavit Instit. Archaeol. *Impronte Gemmarie dell' Instit. Cent.* II, 73. Etiam Amphionis sacrificuli marmoreum signum tum ad eam portam, quae postea Romanesia dicebatur, erectum esse traditur, p. 202.

2) In numis, Antiocho IV regnante cusis (Mionnet T. V. p. 36. n. 316 sqq.), legitur Αντιοχεων των προς Δαφνη (cur in his potissimum, causa ostendetur §. 24.); postea sic saepius. E scriptoribus Ἀ. ἐπὶ Δάφνῃ scribunt Strabo XVI. p. 750. Iosephus Ant. XVII, 1. B. I. I, 12, 5.; ἡ πρὸς Δάφνην Hierocles Synecd. p. 711. Wessel.; *Epidaphne* Plinius V, 21. V. etiam Dionys. Perieg. v. 918.

3) Libanius Antioch. p. 356. οἱ δ' αὖ πρὸς δυσμὰς τό τε πολύδενδρον καὶ καθαριότητα πλείω καὶ τὸ ἥδιστον γειτόνημα τὴν Δάφνην (παραφέρουσιν).

3*) Dionys. Per. 916. Iulianus Epist. ad Libanium p. 400. Spanh. Daphnen comparat cum Ossa, Pelio, Olympique cacuminibus et Thessalicis Tempesi.

4) Pythium Apollinem dicit Theodoretus Eccl. Hist. III, 10. 11. (Etiam Pythiorum nomine Daphnaea sacra dicta esse censet Boeckh Corp. Inscr. T. I. p. 821. Sed retractat idem V. D. hanc coniecturam per se satis probabilem propter alius tituli similitudinem, in quo Daphnenses ludi intelligi non possunt, Corp. Inscr. T. II. p. 659.) Hinc fabula de Daphne et Castalius fons et alia translata. Etiam septem dies solennium (Theodoret. III, 14.) a Pythiis Delphorum sumpti esse videntur. Splendidissima haec soleunia Loo mense, i. e. Augusto, celebrabantur. V. Iulian. Misopog. p. 361. Spanh. Norisius Ann. Syromaced. III, 6. p. 237.

Digitized by Google

dedicaret [5]), ei scilicet deo, quem Seleucidae ambitiosa semper veneratione colebant, et quem Seleuci ipsius genitorem fuisse, adulatrice fama percrebuerat. Narrabatur etiam, Apollinem cum Daphnen virginem non assecutus esset, antequam ea in laurum arborem mutaretur (quae ipsa laurus in Daphnaeo delubro visentibus monstrabatur [6])), hoc loco sagittas omnes humum proiecisse, uniusque earum auream cuspidem his locis delituisse, donec Seleuci equus ungula humum feriens eam detegeret inscripto titulo ΦΟΙΒΟΥ notabilem. Ad hanc fabulam nescio an applicanda sit imago illa in numis Seleucidarum sexcenties reperta, imago dico Apollinis, vel sedentis vel stantis, dextraque manu sagittam tenentis, quam in terram proiecturus esse videtur [7]). Sed ut ad locorum descriptionem revertar, Daphne ab urbe spatio XL stadiorum dissita [8]), et, Libanio teste, occidentem versus sita erat, sed ita ut magis ad meridiem vergeret: nam ad montes, qui ab urbe ad mare usque protenduntur, admotum fuisse hoc delubrum, inde apparet, quod supra Antiochiam situm fuisse dicitur [9]) et

5) *Seleucus campos vicinos urbi Apollini dicavit.* Iustinus XV, 4, 8. Consentit Sozomenus V, 19. Nicephor. H. Eccl. X, 28. De ostentis, quae Seleucum, ut hic Apollinis delubrum strueret, permoverint, Liban. p. 302. Fuit inter ea etiam oraculum a Didymaeo Apolline acceptum (p. 303.), quem quantopere Seleucidae coluerint, ex titulis notum est.

6) V. de ea maxime Arrianus apud Eustath. ad Dion. Per. 918. p. 280. *Phoebeae lauri domum* hacpropter Antiochiam dicit Ausonius Clar. Urb. II.

7) Quod ea Apollinis figura sinistro latere tripodi innititur, etiam hoc ad Castalium fontem et ad cognomen Pythii in Daphnaeo delubro trahendum puto. Notandum, quod etiam Tyche illa, de qua §. 15. extr. dictum est, scipionem eodem cum gestu dextra tenens fingitur. — Si autem de primario huius σχήματος, quod in numis non raro reperitur, significatu quaeris, mihi persuasum esse affirmo, sagittam sic prona manu et cuspide ad terram directa prehensam i r a m d e i m i t i g a t a m significare.

8) Strab. XVI. p. 750. Consentit Sozomenus cum Nicephoro, qui Babylae martyris ossa Daphne in urbem per XL stadia a Christianis perducta esse narrat.

9) Strab. l. l. Ὑπέρκειται δὲ τετταράκοντα σταδίους ἡ Δάφνη. Hinc Eustath. ad Dion. Per. 918. p. 280.

Digitized by Google

aquae inde in urbem deducebantur [10]). Qua cum re convenit, quod Itinerarium Hierosolymitanum [11]) Daphnen V. m. p. ab Antiochia, in ea via ponit, qua per montes versus meridiem urbi adiacentes Laodiceam itur. Eaque in via etiam Anvillius hoc delubrum fuisse statuit, quo loco nunc *Beit-ul-Mei* (i. e. domus aquarum) pagus extat: ubi duo rivi fracto et praecipiti cursu a montium arduis decurrentes Orontis convallem petunt [12]). Hunc fluvium, constat, praeter depressiora Daphnaei delubri loca non multo spatio disiunctum cursum tenuisse [13]). Cum Antiochia urbe Daphne coniuncta erat suburbio, quod Heraclea sive Heracleis dicebatur [14]).

---

10) Libanius p. 353. Cf. infra ann. 12. et diss. II. §. 9. Willermus suo tempore aquarum ductus a Daphne ad Antiochiam superfuisse testatur, IV, 10.

11) p. 581. apud Wesselingium.

12) Hunc locum describunt Kinneir p. 158. et Richter p. 284. qui per eum Laodiceam iter fecit altos campos et confragosas valles permensus. Ab urbe V vel VI m. p. dissitus esse dicitur (duarum horarum via, a Richtero). Inter rudera multorum aedificiorum aquaeductus est, idem haud dubie, de quo dictum annot. 10. Rousseau in tabula hunc aquaeductum appellat *Beit-il-Ma*, locum, unde proficiscitur, *Doueir;* Poujoulat, *Corresp. d'Orient* T. VII. p. 203., locum, unde aquae nascuntur, *Beit-el-Moië* (*maison de l'eau*), hortos circumiectos *Doueir.* Hic etiam prope ad amplissimum fontem antiqui aedificii reliquias extare tradit. — Alius locus est, Babylae dictus, ex quo fluvius *Kersasu* Oronti medio fere loco inter urbem et ostia iungitur, VII m. p. ab urbe dissitus, amoenissima in convalli eaque plurimis fontibus irrigua, quem Kinneir p. 155. ante coniecerat Daphnen fuisse. Id hacpropter minus probabile, quod Babylae ossa, postquam a Iuliano Daphnaeo delubro eiecta erant, quantum novimus, nunquam reposita sunt. V. diss. II. §. 15.

13) *Cupressi, quales non divite ripa lambit Apollinei nemoris nutritor Orontes.* Claudianus de raptu Pros. II, 373.

14) V. Malalas p. 204. (86 V.), ex quo Minervae templum in Heracleïde fuisse discitur. De eodem suburbio Libanius p. 290., qui id h. l. et p. 301. ab Heraclidis quibusdam primum cultum esse narrat. Cf. Wernsdorf. in Avien. 1078. Daphnen et Heracleam miscet Malalas l. l. Eustath. in Dionys. Per. 916: Δάφνη ἐπὶ Ἀντ. ἥ ποτε πόλις Ἡρακλείας (scribe Ἡρακλειάς), non perperam, si Daphne cum Heraclea continuis villis coniuncta erat. Atque ipsa Daphne προάστειον dicitur a Cassio Dione LI, 7., Libanio p. 301. et Iuliano, ac Procopio

Digitized by Google

Quae Heraclea, moneo, ne cum Heraclea oppido, cuius Strabo et Ptolemaeus mentionem iniiciunt, commutetur; hoc enim in Cyrrhestide, id est orientem versus ab Antiochia, situm erat 15). Via, qua per Heracleam Daphnen ibant, laeva fontibus, lavacris, deversoriis magnisque hortis et lucis, dextra splendidis domibus, vineis rosetisque et rivulis ea irrigantibus amoenissima erat 16). Hac parte Orontis flumen a via non longe aberat 16*). Ipsius Daphnaei luci circuitum octoginta stadiorum fuisse narrat Strabo 17). Quo ingenti ambitu quot fontes 18), balnea, aedes, porticus, deversoria, hortuli continerentur, nemo quasi subducta ratione tradere conatus est, sed omnes qui de eo narrant, quasi de Veneris et Gratiarum horto, suavissimoque terrarum angulo, memoriae iucunditate paene abrepti et instincti locuntur. Inter recentiores antiquitatis sensum nemo ore rotundiore inter-

B. P. II, 8. 11. *Amoenum illud et ambitiosum Antiochiae suburbanum* dicit Ammianus XIX, 12, 19. Aliud suburbium Platanon fuisse videtur, quod ab Antiochia in Ciliciam euntes permeabant. Procop. de aedif. Iustin. V, 5.

15) Neque ea Heraclea, quam Stephanus Byz. *ἐν Πιερίᾳ* collocat, hoc Antiochiae suburbium erat, sed Heraclea ea non longe ab Orontis ostiis dissita.

16) Libanius p. 349. *πάντα μὲν οὖν (τὰ προάστεια) τῆς αὐτῆς ἰδέας, τὰ δὲ δὴ πρὸς δυσμὰς,* ʽΗΡΑΚΛΕΙΣ, *ὡς πάντα μὲν ἄλλα, πάντα λόγον νικᾷ*, et quae secuntur, quibus via Daphnen usque continuata describitur. Qui locus multo magis perspicuus fiet, si scripseris ʽΗΡΑΚΛΕΙΑ. Nam asseveratio illa hoc loco vix ferenda est.

16*) Libanius pro rhetor. p. 213. R. *ἀγρὸν .. τῆς πόλεως κάλλιστόν τε καὶ πολυοινότατον, ἐν δεξιᾷ χωροῦντι πρὸς Δάφνην, παρ' αὐτὸν τὸν ποταμόν.* — Etiam ultra Daphnen in litore Antiocheno horti erant cum lavacris iucundissimi. V. Anthol. Palat. IX, 680.

17) Strabo p. 750. Eustath. l. l. Tot stadiorum ambitum fuisse puto, ex quo Pompeius delubrum agro spatioso addito auxerat. Eutrop. VI, 14. Cf. Tzschuckius. Non recte Pompeium Daphnaeum lucum consecrasse scribunt Sext. Rufus Brev. c. 16. et S. Hieronymus ad Ezechiel. 47, 18. T. V. p. 599. ed. Vallars. et in Chron. a. 1949.

18) Libanius p. 352. Inter hos erat, qui Castalius dicebatur, de quo fonte Daphnaeo Ammianus Marcell. XXII, 12, 8. Euagrius I, 16. Sozomenus V, 19. Nicephorus Eccl. Hist. X, 28. Erat hic Castalius, credo, inter eos rivos, qui Apollinis aedem utrinque cingebant. Libanius p. 353.

Digitized by Google

pretatus est quam Eduardus Gibbo Britannus [19]), cuius laudes aemulari, praesertim in hac antiquariae opellae tenuitate, insipidi esset hominis. Hoc loco, nam infra ad alia aedificia Daphnae extructa revertendum erit, aedes deorum memorare sufficiet, qui principes hoc in luco colebantur.

17. Medium locum tenebat asylum Temenos, in quo erant aedes Apollinis et Dianae [1]), consitum id cupressis altissimis et pulcerrimis, quae a Seleuco rege primum plantatae esse ferebantur [2]): in quo quotannis, decimo die Loi, id est Augusti mensis, diis sacra solennia celebrabantur, summa cum frequentia et Antiochensium et vicinorum populorum [3]). Apollinis aedis, quae instaurata a Diocletiano [4]), eo tempore, quo Iulianus

19) Gibbonis *History of the Decline and fall of the Roman empire* c. 23. T. II. p. 396. (1781.)

1) Strabo XVI. p. 750. (De asylia cf. Maccab. libr. II, 4, 33.) Dianae templum si a Traiano extructum dicit Malalas p. 277., de refecto dicere volebat, ut in multis. Nam idem, de quo Strabo, intelligit, *τὸ ἐν μέσῳ τοῦ ἄλσους*. Vastaverat autem etiam Daphneu terrae motus anni p. Chr. 115.

2) Malalas p. 204. Eustath. ad Dion. Per. 318. p. 280. Cf. de his cupressis Libanius Antioch. p. 351. Sozomenus V, 19. Avienus v. 1078. Procop. bell. Pers. II, 14. p. 215. ed. Bonn. 122 b. Paris. Nicephorus Hist. Eccl. X, 28. et Edicta Honorii et Arcadii atque Theodosii et Valentiniani in Cod. Iust. XI, 77. de cupressis ex luco Daphnaeo non excidendis. *Μὴ ἐπιφέρειν κυπαρίττοις σίδηρον*, Libanius suasisse se praefecto, ut videtur Christiano homini, ipse narrat de fortuna sua p. 153. Cupressos Apollinis aedem orbe circumdedisse, Philostratus narrat V. Apoll. I, 16. p. 19. Ol. Quae ab eodem refertur fabula de Cyparisso iuvene Assyrio, ea sine dubio ex hac regione manavit; neque ex ea fabula, quae extat apud Serv. ad Aen. III, 680. Cyparissum Cretensem ad Orontem pervenisse ibique in cupressum mutatum esse, cautior quisquam historiam rerum gestarum eliciet: quibus fabulis non maior fides debetur, quam Antiochensibus asseverantibus Paridem a Priamo missum esse, ut Daphnaeo Apollini piacularia faceret sacra. V. Io. Tzetz. Exeges. Iliad. p. 771. ap. Bachmann. Schol. Iliad. Cyparissum Aegyptium in puteum (Daphnaeum fontem opinor) cecidisse, narrat Tzetz. Schol. in Exeges. Iliad. p. 833. ed. Bachmann. e Pausania historico.

3) Strabo l. l. Diem solennium prodit Iulianus in Misopogone.

4) Malalas p. 307. qui eam aedem eodem tempore *διαφόροις μαρμάροις* exornatam esse adiicit, cf. n. 7.

Digitized by Google

Antiochiae sedens bellum Parthis inferendum parabat, incendio iterum vastata est (quod caelitus immissum an a Christianis illatum an aedituorum incuria ortum esset, summa cum invidia tum contendebatur [5])), qua fuerit specie et figura, diserte quidem non traditur, sed inde intelligi potest, quod Chrysostomus, Libanii querelas mendacii arguens, nil nisi signum dei et tectum aedis igne deletum esse affirmat; mansisse autem incolumes cellae parietes et columnas lacunaria sustinentes atque prostyla sive propylaea utrinque addita, excepta una columna, quam tum fractam et concussam esse sed nihilominus etiam viginti annis post cum caeteris locum suum obtinuisse testatur [6]): ex quibus eam aedem non peripteron, sed amphiprostylon columnarumque ordines etiam intra cellam dispositos fuisse perspicitur. Parietes vario marmorum splendore oculos percussisse, lacunaria autem tecti lignea fuisse (cupressina puto, quae ligni species ad hunc usum aptissima erat), Libanii eiusdem cladis narratione compertum habemus [7]). Deinde quod ad ipsius dei imaginem Bryaxidis Atheniensis arte factam [8]) pertinet, Libanius et Theodoretus quae narrant, sufficiunt ad imaginem huius signi adumbrandam [9]). Erat signum colosseum, ita ut capite prope

---

5) Ammianus Marcell. XXII, 13, 2. 3. Sozomenus V, 20. Theodoret. III, 9. 10. Cassiodor. Hist. eccl. VI, 31. Theophanes p. 33.

6) Io. Chrysost. de Babyla contra Iulianum c. 17. 21. T. II. p. 564. 573. Montf. Eademque fere Sozomenus l. l. Quod Ammianus narrat XXII, 13, 2., Christianos non sine invidia vidisse Daphnaeum Apollinis fanum a Iuliano ambitioso circumdari peristylio: id non intelligo de pteromate aedis, sed de porticibus aulae templi adiectis sive de peristoo, quod operis genus tum temporis peristylium dictum esse constat.

7) Libanius in Monodia p. 335. Ephesiae aedis lacunaria constat fuisse cupressina.

8) Cedrenus p. 242. B. ed. Ven. Hic Bryaxis cum etiam Seleucum regem ex aere fuderit, et maxime in Asia artem exercuerit; nam extabant opera eius Rhodi, Cnidi, Halicarnassi et Pataris in Lycia (de his narrat Clemens Alex. Protr. §. 47. p. 41. Pott.; de caeteris v. Sillig. Catal. artif. p. 110.): omnia suadent, ut Cedrenum vera tradidisse censeamus.

9) Libanii verba, quae huc pertinent, sunt in Monodia de Daphnaeo templo, Or. LXI. T. III. p. 334 sqq. R. Excerpo haec: *τὴν φιάλην, τὴν κίδαριν* (*κίθαριν* puto), *τὸν ποδήρη χιτῶνα — ἁπαλότητα δέῤῥης ἐν λίθῳ, ζωστῆρα περὶ*

Digitized by Google

abesset a tecto templi, et acrolithum, id est e materia lignea et e marmore sic confectum, ut nuda omnia marmore essent candicantia, veste autem contectae corporis partes e ligno factae et auratae. Sic factum, ut, cum Iuliani tempore lacunaria incendio correpta essent et ardentes trabes deorsum ferrentur, dei signum cito flammam ad se traheret brevique tempore in favillam concideret. Species autem dei Daphnaei eadem fere erat, quae Apollinis Palatini a Scopa facta, desumpta illa ab agonistis musicis Pythiorum ludorum, nam Pythius etiam Daphnaeus Apollo dicebatur [10]. Nunc solent hunc Apollinem Musagetam dicere. Talaris stola, ex qua candidae cervices exsplendescebant, cingulo circa pectus continebatur, partim tumide se attollens, partim pressule corpori adhaerens. Ab humeris pendebat cithara, sine dubio auro gemmisque insignis, qui citharoedorum erat ornatus; ipse eam digitis tangere, et semihiante ore carmen fundere videbatur. Altera autem manus auream tenebat pateram (*φιάλην, κύαθον*), sic ut deus libare videretur. Hoc ipsum cum citharoedi Apollinis habitu coniunctum saepe in operibus anaglyphis et vasculis pictis [11]

τῷ στήθει, συνάγοντα χιτῶνα χρυσοῦν, ὡς αὐτοῦ τὰ μὲν ἐνιζάνειν τὰ δὲ ὑπανίστασθαι. — ἐῴκει ᾄδοντι μέλος — καί πού τις αὐτοῦ καὶ ἤκουσεν, ὥς φασιν, ἐν μεσημβρίᾳ κιθαρίζοντος, τὸ δὲ ᾆσμα ἦν ἔπαινος τῆς γῆς· ἥ μοι φαίνεται καὶ σπένδειν ἀπὸ τῆς χρυσῆς κυάθου, ὅτι τὴν κόρην ἔκρυψε ῥαγεῖσα καὶ συνελθοῦσα. — δοκοὶ δ᾽ ἐφέροντο κάτω φέρουσαι πῦρ, ὅτῳ πελάσειαν φθείρουσαι, τὸν Ἀπόλλω μὲν εὐθύς, ἅτε καὶ μικρὸν διέχοντα τοῦ τέγους. Theodoret. Hist. eccl. III, 11. haec habet: *Σκηπτὸς γὰρ οὐρανόθεν καταπεμφθεὶς τὸν σηκὸν ἐνέπρησεν ἅπαντα, καὶ αὐτὸ τὸ τοῦ Πυθίου ἄγαλμα κόνιν λεπτοτάτην ἀπέφηνε. ξύλινον γὰρ ἦν, ἔξωθεν ἀλλ᾽ ἠλειμμένον χρυσῷ.* Aureum et Apollinis et Dianae simulacrum dicit Malalas p. 234. De la Bleterie, *Vie de l'Emp. Julien* p. 211., Theodoretum erroris arguit, quod marmoreum illud signum fuisse ex Libanii verbis appareat; scilicet acrolithorum signorum rationem non intellexit. Sed Gibbo unde Daphnaeum deum in genibus sedisse, *in a bending attitude* fuisse sumpserit (p. 397.), non potui extricare. Alios eiusdem errores nunc non elevo.

10) v. §. 16. n. 4.

11) Apollo *σπένδων* et *Νίκη οἰνοχοοῦσα* in iis anaglyphis coniungi solent, quae prisco decore insignia primis temporibus ad musici agonistae victoriam celebrandam templis dedicata esse videntur. Ex picturis vasculorum unam memoro,

reperitur, neque dubium victorem Apollinem sic notari; unde apparet, ineptam esse coniecturam Libanii, ea patera Terrae deae ab Apolline libari, quod illa Daphnen in sinum suum receperit. Haec, quam modo descripsi, Apollinis species conspicitur et in numis Antiochi Epiphanis [11*]) et in moneta Antiochiae imperantibus Philippo et Decio et sub Iuliano II. signata [12]): quibus Daphnaeum simulacrum nobis restitui, nunc satis intelligitur. Praeter hoc dei signum in aede inerant regum et principum statuae, qui *οἰκισταὶ* dicebantur, id est eorum, qui delubrum aut condiderant aut auxerant [13]).

18. Haec dicenda habebam de operibus, quibus Antiochia ab ipso conditore aucta est. Huius filium Antiochum Soterem, cum urbem non amplificaverit, exornasse tamen eam cum templis, velut Dianae Eleusiniae [1]), tum aliis operibus constat. Sic ex iis, quae postea disputabimus, Omphalum s. Umbilicum urbis ab eo constitutum et Apollinis simulacro insignitum esse probabile fiet. Sed cum ad liquidum id non

---

Agrigentinam, editam a Politio et Ed. Gerhardo (Antiq. Monum. Cent. I. tab. 58.), qua eodem modo Apollo *Πυθίῳ σχήματι* decorus et Victoria sive Iris componuntur. Apud eundem Gerhardum Cent. I. tab. 9. pro Victoria Diana est, Pythiorum sacrorum consors, neque illa musici muneris expers. Ampliorem horum operum commentarium praestat Welckerus in Annal. Instit. Archaeol. T. V. p. 147., quocum velim conferas quae scripsi in Ephemer. liter. Halensibus 1835. N. 102. p. 190.

11*) Pulcherrima huiusmodi numi effigies extat ap. Mionnet *Description des Médailles, Suppl. T.* VIII. *pl.* 12, 13.

12) Vaillant Num. aerea Imp. in coloniis percussa T. II. p. 226. (in tab. adi. h.) 277. In numis Iuliani, quos in Museo Caesareo vidi, vinum ex patera effusum liquido cernitur. Eadem Apollinis species est in numo aeneo Romano Antonini Pii apud Pedrusium Museo Farn. T. VII, 4, 6.

13) Libanius Monodia p. 335.

1) Nomen Eleusiniae Dianae inde derivatur, quod Dianae egregium simulacrum, a Ptolemaeo Philadelpho in Aegyptum abductum, Dea ipsa monente, Antiochiam relatum sit. Liban. p. 306. (Eodem sub rege simulacra Cypriorum deorum Antiochiam delata esse narrantur; quod quo astu effectum sit, narrat Liban. p. 307.) Erat Antiochiae Eleusinius angiportus, utrinque hortis circumdatus. Liban. Epist. 1329. p. 619. Wolf.

Digitized by Google

possit perduci antequam de Epiphanis regis operibus expositum fuerit, hic verbo de ea re monuisse sufficiat.

Antiochum secundum s. Deum constat, post Ioniam pace a Ptolemaeo Philadelpho receptam, Ephesi, quae urbs tum Asiae splendidissima erat, sedisse ibique obiisse, Berenicen autem, regis Aegypti filiam, a Laodice, Achaei filia, e regis toro depulsam, Antiochiae habitasse, donec post Antiochum veneno necatum Berenice, exercitu a Laodice misso Antiochia pulsa, in asylum Daphnaeum confugere cogeretur, omnique ejus loci sanctitate contempta interficeretur [2]. Iterum, cum Seleucus Callinicus, is qui Antiocho II successit, ad Babyloniam satrapiam a Ptolemaeo Euergeta Syriae regibus ereptam imperio suo restituendam in superiore Asia abesset: Stratonice, Antiochi primi filia Demetriique secundi, Macedonum regis, antea uxor, quae tum marito relicto in Syriam reversa, neque eo favore excepta erat quo exspectaverat, Antiochenses, ut a Seleuco rege deficerent, permovit. At revertitur Seleucus, Antiochiam expugnat, Stratonicen Seleuciae capit et interficit [3]. Quae fieri non poterant sine clade et Antiochensium et ipsius urbis. Postea tamen idem Seleucus Callinicus Antiochiam praeter fanum Iseum, quo simulacrum deae Memphide acceptum statuebatur [4], etiam nova urbis parte adiecta amplificavit et auxit [5]. Haec Strabo rettulit [6], qui quattuor Antiochiae partes quasi singulas urbes fuisse nar-

2) V. Niebuhrius de Eusebio Armen., p. 274. Scriptorum minorum. Polyaenus VIII, 50. Berenicae narrat pacto τῶν βασιλείων τόπον ὀχυρώτατον promissum, sed pacti leges non servatas esse. Quod iis addo, quae Niebuhrius de his rebus docte et ingeniose disputavit.

3) Niebuhrius in comm. laud. p. 255. cf. p. 281 sq. In transitu moneo, quod Niebuhrius se nescire profitetur, quae sit illa Coloe, ad quam Antiochus, Callinici frater et tum hostis, cum Attalo conflixit (teste Porphyrio ap. Euseb. Armen.): intelligit sine dubio Κολόην λίμνην, quae olim Gygaea dicebatur, XL stadiis a Sardibus urbe dissitam, Lydorum religionibus sanctissimam. Ab hac nomen nacta est ἡ Κολοηνῶν πόλις ad Tmolum montem et Caystri fontes, unde Leo Diaconus se oriundum profitetur, Hist. I, 2. p. 5. ed. Bonn.

4) Libanius p. 308.

5) Froehlich. Annal. Syriae hoc Seleuci opus anno a. Chr. 240. Seleuc. 73. tribuit.

6) XVI. p. 750.

Digitized by Google

rat, duas quas iam memoravimus, tertiam Seleuci huius, quartam Antiochi Epiphanis. Libanius contra novam Antiochiae partem Antiocho tertio sive Magno assignat. Quae adiectio cum ea urbis pars esse non possit, quam Malalas Epiphani tribuit, nam haec ad montem erat, Libanii autem nova urbs ad fluvium: sequitur, ut de tertia Antiochi parte Libanium loqui statuendum sit. Itaque hanc partem a Seleuco illo inchoatam, absolutam autem statuemus ab hoc Antiocho, qui post breve fratris, Seleuci Cerauni, regnum patri successit. Nam etiam hic rex Antiochiae sedere solebat, eaque in urbe Laodicen, Mithridatis filiam, in consortium regiae sedis assumpserat [7]). Quos autem in hanc novam urbem incolas deduxisse narratur Antiochus, Aetolos, Cretenses, Euboeenses [8]): eos sine dubio ex Graecia, cum bellum contra Romanos pararet et has gentes sibi socias haberet, abstraxerat, ut tuti a Romanorum vindicta in Syria habitarent. Hinc efficitur, hanc Antiochiae partem non absolutam ante annum a. Chr. 190., Seleucidarum CXXIII.

19. Ut hanc urbem etiamnunc describere et eius magnificentiam et elegantiam aestimare possimus, debemus Libanio rhetori et Euagrio Scholastico, qui, quid ea urbis pars Leone Magno principe terrae motu passa sit, diligenter indicat [1]). Nam nunc nullum eius vestigium: quid quod ne solum quidem superest quo steterat. Fuit enim in insula [2]), quae

7) Polybius V, 43. Anno a. Chr. 221. Seleuc. 92.

8) Libanius p. 309.

1) Libanius eam Antiochicae orat. p. 309. *τὴν νεωτέραν τῆς πόλεως μοῖραν* appellat, p. 356. *τὴν νέαν*; antiquiorem *τὴν ἀρχαίαν* p. 339. *Τὴν καινὴν* dicit Euagrius Eccl. Hist. II, 12., opponitque *τὴν παλαιάν*. In Palaea Athanasii temporibus orthodoxa Christianorum factio sacris operabatur. Athanas. ad Antiochenos 3. T. II. p. 771. ed. Bened. Act. Sanct. Febr. T. II. p. 588.

2) Libanius Antioch. p. 339. Hinc Polybius V, 69. Orontem per Antiochiam fluere, Plinius N. H. V, 21, 18. Antiochiam Oronte dividi, recte scribunt. Hunc exscribit Martian. Capella VI. §. 680. Orontem Antiochiae interlabi urbem dicit Avienus v. 1093., cuius verba neque corrigenda sunt, neque urbs pro agro habenda. Sic etiam Dionys. Per. 920. et Hegesippus III, 5.; contra qui illum commentatur, Eustathius Orontem praeter, non per Antiochiam fluere dicit, et recte, si de suis temporibus dicit. Iuxta Antiochiae muros decurrere

Digitized by Google

nunc his locis vel nulla vel perexigua est, altero Orontis alveo, ut videtur, plane exsiccato [3]. Orbiculari fere erat figura, suoque peculiari muro tanquam corona cingebatur [4]. Omnibus haec urbis partibus praestabat simplici et eleganti dispositione [5]. In medio loco, qui tanquam scuti umbo erat, quattuor arcus compositi et inter se iuncti erant [6], quod genus aedificii Tetrapylum dicebatur [7]. Hinc quaternae porticus orientem et occidentem, septentrionemque et meridiem versus dirigebantur. Tres earum, quae ad murum illum pertinebant, longiores; quarta brevior, quippe quae ad Regiam ducebat et Regiae ipsi propylaeorum loco erat. Nam Regia haec, quae quartam fere novae urbis partem occupabat, ex altera parte, ad meridiem, tetrapylum illud fere attingebat, ex altera, septentrionem versus, Orontis exteriori flumini proxima, muro urbis insistebat, ita ut hic murus tanquam ingens stereobata columnarum longos ordines suspensos teneret, quibus Regia hac parte ornata erat [8]. Haec porticus, quae

---

Orontem dicit Isidor. Origg. XIII, 21, 17. Similiter Vibius Sequester p. 15. ed. Oberlin.

3) Cf. supra §. 4. dicta.

4) Libanius p. 309. 340. 356.

5) Miror, Reiskium, optimum et doctissimum virum, non vidisse, apud Libanium p. 356. scribendum esse: *οἱ δ' ἐν τῇ Νέᾳ (παραφέρουσι) τὸ τεῖχος, τὴν νῆσον, τὰ βασίλεια, τὴν τῆς ὅλης εὐθημοσύνην*, sed explicare studuisse corruptam lectionem *εὐθυμοσύνην*.

6) Libanius p. 340.

7) Euagrius II, 12. cum Nicephoro XV, 20. De hoc genus aedificio Orbis descriptio, sub Constantio Constantini filio scripta (Mai. Class. auct. e Vat. codd. edd. T. II.) c. 17. p. 394. (p. XI. ed. Bode): *In Caesarea — tetrapylum nominatur ubique, quod unum et novum spectaculum praebet.* Magnificum tetrapylum Laodiceae Augustus extruxisse dicitur a Malala p. 223. (94.) Tetrapylum aureum (Augusteum) Constantinopoleos memorat Descr. urbis Cpoleos. Cf. de tetrapylis Ducangius Gloss. Graec. p. 1552.

8) Haec illis ex Libanio p. 340. sumptis addidimus ex Theodoreto Eccl. Hist. IV, 26. p. 189. Val: *Βόῤῥαθεν μὲν Ὀρόντης ὁ ποταμὸς παραῤῥεῖ τὰ βασίλεια. ἐκ δὲ μεσημβρίας στοὰ μεγίστη διώροφος τῷ τῆς πόλεως ἐπῳκοδόμηται περιβόλῳ, πύργους ὑψηλοὺς ἑκατέρωθεν ἔχουσα. μεταξὺ δὲ τῶν τε βασιλείων καὶ*

Digitized by Google

duplici contignatione assurgebat, et utrimque turribus altissimis munita erat, Regia porticus appellabatur, et magnificus profecto inde Regibus prospectus erat in viam flumentanam proxime subiectam, Orontis flumen et ripas, suburbia amoenissimamque Syriae partem late patentem. Ipsa Regia, si Libanio credimus [9]), nullo eius generis aedificio vincebatur pulcritudine, magnitudine omnes vincebat, et ut Theocriti verbis utar, quibus architectorum sui temporis fastum castigat, Giganteam Eurymedontis domum referebat. Porticuum enim, thalamorum, magnorum oecorum quasi labyrinthum quendam continebat [10]). Omnis autem nova urbs cum vetere quinque pontibus coniuncta erat [11]).

20. Nunc cum de Seleuci Philopatoris operibus Antiochiae structis nihil compertum habeamus, iam celeri cursu devenimus ad octavum Seleucidarum, Antiochum Epiphanem. In quo Rege mirum, quam discordi temperamento mala cum bonis mixta fuerint. Ac si iste Antiochus a sacrae historiae scriptoribus maxime culpandus erit: archaeologi sibi ipsi hostes essent, si eum plane contemnerent. Nam aedificator erat hic rex, et aedificiorum magnitudine et elegantia nulli secundus. Qui si Athenis Olympio templo Pericleorum operum magnificentiam vicit: quanta opera putabimus eum ad suam urbem augendam et exornandam esse molitum. Horum operum, quibus regni vires iam fractas plane eum attrivisse non diffiteor, famae nunc officit hoc, quod Malalas Antiochenus, quanquam permulta egregia fide ex optimis fontibus sumpta tradiderit [1]),

---

τοῦ ποταμοῦ λεωφόρος ἐστὶν ὑποδεχομένη τοὺς διὰ τῶν τῇδε πυλῶν ἐκ τοῦ ἄστεος ἐξιόντας καὶ εἰς τοὺς προαστείους ἀγροὺς παραπέμπουσα. Apparet hanc viam extra muros novae urbis fuisse, et per pontes coniunctam cum agris ultra Orontem sitis. Porticus autem illa, quae infra *βασίλειος στοὰ* dicitur, eadem est, quam Libanius describit.

9) p. 340. 341.

10) Euagrius, cum Nicephoro, scribit, illo terrae motu *τῶν βασιλείων τὸν πρῶτον καὶ δεύτερον οἶκον* cecidisse, ceteros *σὺν τῷ παρακειμένῳ βαλανείῳ* stetisse, quod lavacrum tum unum usibus novae urbis incolarum suffecisse.

11) p. 341. cf. Strabo p. 750.

1) Actis urbis vel ipsum Malalam, vel Domninum, episcopum Antiochiae, qui

Digitized by Google

in eo tamen saepissime erravit, quod Regum antiquiorum opera iis Romanorum principibus attribuit, qui ea incendiis terraeve motibus vastata instauravere tantum et refecere. Itaque Tiberii maxime Imperatoris nomini ea aedificia adscribit, quibus Seleucidarum et Epiphanis nostra memoria ornanda erat. Quid quod eo usque a via aberravit, ut Orontem fluvium a Tiberio primo hoc nomine appellatum esse crederet, tanquam *ex oriente* fluvium [2]. Hunc errorem si a nobis depulerimus, et Malalae narrationem ad antiquiorum scriptorum testimonia correxerimus: assequemur spero Epiphaneorum operum notitiam ipsis operibus quodammodo dignam.

Primum ex Strabone tenemus, hunc Antiochum quartam urbi partem addidisse Antiochiamque effecisse Tetrapolin [3]. Atque eodem teste refellimus Malalam sive Domninum chronographum: qui ab Antiocho Epiphanium quidem suburbium adiectum esse narrat, urbis autem partem hinc factam muroque inclusam statuit a Tiberio [4]. Falsa haec esse confidenter affirmamus, quod iam ante Tiberium quamque quadrurbis Antiochiae partem cum communi omnium, tum singulari muro circumdatam fuisse constat [5]. Sed recte ab Antiochenis illis scriptoribus docemur, Epiphaniam sitam fuisse inter planitiem atque montem [6]. Haec enim acclivia loca, qua ab arduis Silpii montis verticibus ad Orontis convallem descenditur, sola tum relicta erant, quibus nova urbis pars inaedificaretur, cum Seleucus torrentium impetum vitans urbem suam intra planitiem coercuisset. Nunc illa loca ab Antiocho muro circumsaepta sunt, in quibus etiam

sub Iustiniano scripsit (v. Bentlei. Epist. ad Millium p. 73.), usum esse, postea demonstrabitur.

2) p. 230. Item Eustath. ad Dionys. Per. 919. eodem fonte usus.

3) Strabo XVI. p. 750. Cf. Eustath. ad Dionys. Per. 918. p. 280. Bernh.

4) Malalas p. 205. 233. et 234. 346.

5) Ἔστι δ' ἡ μὲν Ἀντιόχεια καὶ αὕτη τετράπολις (ut Seleucis provincia) ἐκ τεττάρων συνεστῶσα μερῶν· τετείχισται δὲ καὶ κοινῷ τείχει καὶ ἰδίῳ καθ' ἕκαστον τὸ κτίσμα. Strabo XVI. p. 750. Διόδωρος ὁ ἱστορικὸς τετράπολίν φησι Συρακούσας, ἐν οἷς ἀφομοιοῖ Ἀντιόχειαν τὴν πρὸς τῷ Ὀρόντῃ ταῖς Συρακούσαις, in Scholiis Strabonis cod. Paris. ed. Falcon. T. I. p. 390. Diodorus ed. Dindorf. V. II. P. II. p. 247.

6) p. 205. 233 sqq.

Digitized by Google

Iopolis cum aede Iovis Ceraunii et cum Acropoli inerat [7]): quae Acropolis vix alio loco stare poterat atque illo, quo etiam Francorum tempore Antiochiae Arx s. Castellum stabat [8]), i. e. in alto et praecipiti vertice a Silpio monte orientem versus vergente, quem ex urbe uno tantum calle adiri potuisse supra narravimus [9]). Infuisse in hoc muro praerupta montium, rupesque et saxa et torrentes, etiam Procopius scribit, de eo tempore narrans, quo, Iustiniano regnante, muri in arctius spatium contrahebantur atque ea tantum loca moenibus comprehendebantur, quae curru equove adiri possent [10]).

21. Nunc dicam de publicis operibus, quibus Epiphanis haec urbs exornata est. Curiam, in qua senatus Antiochensium consuleretur, et sacras aedes tum structas esse, refert Malalas [1]). In his primum locum tenet Iovis Capitolini templum: quod cum ex imitatione Romanae in Capitolio aedis factum esset, dubitari non potest, fuisse in monte Silpio, in eo puto cacumine, quod cum Arce proxime coniunctum erat. Id templum, Livio teste, tanta magnificentia ornabatur, ut non tectum solum aureis lacunaribus fulgeret, sed etiam toti parietes lamina inaurati essent [2]). Sed Antiochus, cum intra breve regni spatium tot et tam magnifica opera suscepisset, nullum fere perfecit; et Capitolinum templum, intelligitur ex

---

7) Malalas p. 233., quo loco de Tiberio dicitur: *ἀποκλείσας διὰ τοῦ ἰδίου αὐτοῦ τείχους καὶ τὴν ἀκρόπολιν καὶ τὴν Ἰώπολιν*. In narratione p. 347. *οἱ ἀκροπολῖται* iidem sunt qui Ionitae.

8) De Acropoli hac Hegesippus III, 5. Willermus VI, 1.

9) §. 3.

10) Procop. de aedific. c. 10. Antea muris imminebat rupes, ex qua Chosroes Antiochiam ceperat; ab hac muri tum in remotiora dimovebantur.

1) p. 205. 234. De curia ab uno ex Seleucidis structa etiam Libanius p. 312. Curiam Epiphanis a Daphne non longe dissitam fuisse, dicit scriptor ap. Eustath. ad Dion. Per. 918. p. 280. Sed hoc aperte falsum, nam Malala p. 233. (99. V.) teste novimus, curiam cum Museo in superiore urbis parte sitam fuisse. Haec Tiberio regnante incendio vastata esse dicuntur. Cf. infra §. 26. Neque dubito, quin hoc idem fuerit *βουλευτήριον*, cuius in aula quattuor porticibus circumdata tabulas pictas vidit et descripsit Libanius p. 1048. 1057.

2) Livius XLI, 20.

Digitized by Google

Malala, a Tiberio demum esse absolutum, nisi forte et hoc terrae motu concussum et ab hoc imperatore instauratum est [3]).

22. Splendidissimum autem Epiphaniae urbis ornamentum cum haud dubie dicenda sit porticus tetrastichos, quae per totam urbis longitudinem porrigebatur: non possum quin etiam hoc opus, antequam ad Romanorum Impp. tempora devenerim, commemorem, et quae de eo etiamnunc sciri possunt hoc loco colligam. Per totam urbem ab oriente ad occidentem [1]) recta [2]) pertinebat platea, quae ex quattuor columnarum ordinibus composita erat. Horum ordinum bini porticum efficiebant tectam; inter medios binos erat via sub dio relicta [3]). Longitudinem XXXVI stadiorum fuisse, scribit Dio Chrysostomus [4]), IV millium passuum Malalas [5]), quod

3) Malal. p. 234. (99.) Ne forte *Ζεὺς Καπιτωλιεὺς Ἀντιοχέων* huc referatur: verbo moneo, Cariae esse Antiochiam, cuius in numis M. Aurelio principe percussis imago et nomen eius dei extent. Vaillant Num. Imp. Graeca, ed. alt. p. 293.

1) Libanius p. 337.

2) *ἰθυτενής* dicit idem scriptor.

3) Liban. p. 337. Malalas p. 232. ubi dicit *ἐμβόλους δύο μεγάλους — ὑποῤῥόφους*.

4) *ὧν ἡ πόλις ἓξ καὶ τριάκοντα σταδίων ἐστὶ τὸ μῆκος καὶ στοὰς ἑκατέρωθεν πεποιήκασιν.* Or. XLVII. p. 527, 15. (T. II. p. 229. R.) Quod Iulius Valerius eo loco, quo maximarum antiqui orbis urbium spatia inter se confert, de reb. gest. Alexandri I, 24. dicit: Antiochiae diametrum (nam hunc intelligit) fuisse VIII stadiorum et LXXII pedum, id vel de urbe in insula sita vel de latitudine antiquae urbis intelligendum esse videtur.

5) p. 337. Libanius p. 337. tantum dicit huius viae spatium, ut non sine equo permetiri id liceat. Idem p. 342. scribit, hanc plateam, si addatur ea, quae inde ad flumen ducit, duaeque illae novae urbis, quas supra descripsimus, effici *σταθμοῦ* stadiorum longitudinem. Hic si *σταθμὸν* dicit 150 stadiorum, incredibilia narrat; sed ad centum stadia ea spatia coniuncta accessisse, facile crediderim. Quae idem p. 339. dicit: *τῶν τοίνυν στοῶν ἐξ ἀνίσχ. ἡλίου πρὸς δυσμὰς τεταμένων καὶ τοσοῦτον μῆκος ἀπεχουσῶν, ὅσον ἂν καὶ τρισὶν ἀπέχρησεν ἄστεσι*, ea nonnisi de distantia terminorum porticus huius sive spatio inter orientalem et occidentalem portam interiecto intelligi possunt. Sic iam Strabo *ἀπέ-*

Digitized by Google

paulo minus est spatium. Omnis operis dispositio ea erat aequalitate, ut a pictore in tabula delineatam crederes [6]), et quanquam in inaequali solo ducta, nam praeter Silpii montis radices pertinebat [7]), omne tamen fundamentum substructione erat exaequatum. Antonini Pii temporibus platea, quae inter porticus erat, cum magna urbis parte lapide molari ex Thebaide advecto, id est saxo pyrrhopoecilo, quod nunc Granitum appellant, constrata est [8]). Hanc in plateam multae dirigebantur viae, cum in superiora urbis loca hortis et lucis consita, tum in inferiora ad flumen ducentes: quae ubi in ordines columnarum incidebant, arcuationes illae, quae tetrapyla dicuntur, structae erant [9]). Medium autem horum tetrapylorum, cum urbis totius quasi centrum esset, dicebatur umbilicus; eoque loco Omphalos lapide excisus, eadem sine dubio specie, qua Delphicus ille, positus erat [10]). Credibile est, hoc in Omphalo etiam Apollinis, patrii

---

χειν posuit. V. XVII. p. 811. *Ἐπὶ τέλει τῆς οἰκοδομίας ταύτης πλέον ἢ στάδιον ἀπεχούσης*, id est: plus quam stadium occupantis.

6) *ὥςπερ ἐν γραφῇ* Libanius p. 338.

7) *πρὸς τῷ ὄρει τῷ λεγομένῳ Σιλπίῳ* Malal. p. 232.

8) Malalas p. 280 sq. cf. Liban. p. 337.

9) *τετράπυλα διὰ εἰλημάτων* Malalas p. 232. (98 V.), qui adiicit, ea Tiberii temporibus exornata fuisse marmoribus et musivo opere.

10) Malalas p. 233. — *κατὰ τὸ μέσον τῶν ἐμβόλων τῶν ὑπ' αὐτοῦ κτισθέντων — ὅςτις τόπος κέκληται ὁ ὀμφαλὸς τῆς πόλεως, ἔχων καὶ τύπον ἐγγεγλυμμένον ἐν λίθῳ* ʼΟΦΘΑΛΜΟΥ. Apertum est, huius vocabuli loco ponendum esse ΟΜΦΑΛΟΥ. Etiam Alexandria urbs columnatis duabus plateis in rectum et transversum deductis, sic ut Antiochia, in quatuor partes dividebatur (Strabo XVII. p. 795. Diodor. XVII, 52. Achilles Tatius V, 1. p. 103. ed. Jacobs, cf. Bonamy *Mém. de l'Ac. des Inscr.* T. IX. p. 420.), et eo loco, ut videtur, quo eae plateae decussatim concurrebant, umbilicum suum habebat, quod intelligitur ex loco Iulii Valerii de reb. gest. Alexandri I, 27: *Aedificandi Alexandriam constat principium ex meditullio esse factum, idque etiam nunc nomen in ea urbe retinere, quod Mesonpodio vocatur:* quam vocem mutandam censeo in *Mesomphalion.* Etiam Constantinopolin et Nicaeam habuisse Mesomphalion docet Ducangius in Lexico Med. Graecit. s. v. Haec omnia Delphis tanquam e communi umbilico orta sunt. Nam *Μεσομφαλία ἡ μέσος τῶν Δελφῶν πόλις* scribit Hesychius s. v.

Seleucidarum dei, imaginem insidentem fictam esse, sicut Delphis hic deus *ἐν μέσῳ τῆς γῆς ἐπὶ τοῦ ὀμφαλοῦ καθήμενος* (quae verba Platonis sunt), fingebatur [11]). Eoque spectare videntur innumeri Seleucidarum numi, quibus Omphalos, taeniis plerumque redimitus, et Apollo sedens in eo proponitur [12]). Quos quanquam ex religionibus Delphicis per totum terrarum orbem celebratis et a Seleucidis quoque sancte habitis repetere possis: magis tamen placebit caussa propius ex principe Seleucidarum urbe petita. Sic eadem Apollinis Omphalo insidentis imago, Paphiorum regis Nicoclis in numis extans [13]), non propter Delphorum honorem, sed quia etiam Paphus terrarum umbilicus dicebatur, impressa est [14]). Tetrapyli eius, in quo hic Omphalus erat, etiamnunc cognosci poterit situs, inde quod eo loco Tiberius Imperator quaedam mystice consecrata deposuisse traditur, quibus torrentium, maxime Parmenii, vim et pericula a porticibus illis arceret [15]). Quae quanquam ab homine superstitiosissimo narrata sequioris saeculi ingenium sapere videntur: hoc tamen inde intelligitur, urbis umbilicum ferme e regione Parmenii torrentis fuisse. Hoc igitur loco cum maxima illa platea altera coniuncta erat, quae ex tetrapylo illo quasi communi urbis centro progredi videbatur [16]). Etiam haec, illa sine dubio

---

11) De hoc Omphalo in operibus artis conspicuo cum iam dudum eadem mihi insit persuasio, quam Passovius aliique docte stabiliverunt: non assentior Rathgebero, qui (Encyclop. Hal. III, IV. s. v. *Orakel in Bildwerken*) idem quod nos Omphalon dicimus, se pro alveo apum habere declaravit.

12) De sagitta, quam humum versus protendit, superiore loco §. 16. dixi. In numo Antiochi I, in Museo Caesareo, hic Apollo Omphalo insidens tres sagittas dextra dispergere videtur.

13) V. Eckhelius Num. vet. anecd. tb. 14. n. 3. p. 238. Mionnet *Descript. Suppl. T. VII. p.* 310. Apollo in hoc numo Omphalo insidet, dextraque sagittam humum inclinat, sinistra arcui innititur.

14) *Γῆς ὀμφαλὸς ἡ Πάφος καὶ Δελφοί*, Hesychius s. v.

15) Malalas p. 233.

16) Libanius p. 339. scribit: *κατὰ μέσην μάλιστα τὴν δεξιὰν* (*στοὰν*) *ἀψῖδες πανταχόθεν τετραμμέναι μίαν ὀροφὴν ἔχουσαι λίθου παρέχουσιν ἀρχὴν ἑτέραις στοαῖς πρὸς ἄρκτον ἄχρι τοῦ ποταμοῦ προϊούσαις.*

multo brevior [17]), quae septentrionem versus ad flumen usque excurrebat, porticibus exornata erat, et cum multis angiportis iuncta. Quibuscum coniunctum erat Nymphaeum, splendidissimum aedificium, altissimo tecto testudinato, columnarum et parietum marmoribus et, quod proprium Nymphaeorum erat, aquarum continuo manantium iucundo frigore et murmure insigne [18]). Idem ni fallor Trinymphum appellatur, aedificium signis splendide ornatum et ad nuptias celebrandas accommodatum [19]). Quod structurarum genus ex his terris, quibus maxime erat idoneum, etiam Romam et in Italiam translatum est, ubi inde a Severi temporibus multa earum mentio extat [20]).

---

17) Antiochiam in longitudinem porrectam fuisse testatur Hegesippus qui dicitur III, 5.

18) Libanius p. 339. Τὸ δὲ (sic Bavar. codex, recte) *περὶ αὐτὰς Νυμφῶν ἱερὸν οὐρανόμηκες, λίθων αὐγαῖς καὶ κιόνων χροίαις καὶ γραφῆς αἴγλῃ καὶ ναμάτων πλούτῳ πάντα ὀφθαλμὸν ἐπιστρέφον.* Euagrius Eccl. Hist. II, 12. de terrae motu sub Leone: Καὶ *τῆς γε* Ὀ*στρακίνης οὕτω καλουμένης γειτονίας τινὰ συγκατέβαλε σὺν ταῖς στοαῖς καὶ τὸ καλούμενον* Νυ*μφαῖον ῥίψας.* Hinc colligitur, vicum urbis, in quo Nymphaeum erat, Ostracinum dictum, puto a conchis, quibus Nymphaea exornata fuisse credibile. Idem Euagrius VI, 8. Psephium, de quo ante se dixisse affirmat (v. I, 18.), et regionem Brysia atque Ostracinen terrae motu sub Mauritio Imp. turbatam esse scribit.

19) V. Malalas p. 244., qui hoc Trinymphum cum Vario lavacro, a fluvio non longe dissito, iungit; idque sub Gaio extructum narrat. Puto tum post terrae motum refectum esse. Tetranymphum ab Hadriano conditum esse in Aelia Capitolina narrat Chronicon Pasch. p. 474. Bonn. (P. 254.) cf. Ducangius Gloss. Graec. p. 1552.

20) V. Valesius in Ammianum XV, 7, 3. p. 141. ed. Wagner. Nymphaei Nicomediensis casum deplorat Libanius. Gordiani tertii opera Romae fuisse quaedam nymphaea et balneas scribit Capitolin. c. 32. Zonaras Ann. XIV, 1. p. 20. ed. Ven. et Cedrenus p. 348. ed. Par. (cf. p. 310.) Nymphaeum, quod Cpoli in Tauro sub Valente conditum Leone Imp. combustum et instauratum est, eo consilio factum esse dicunt, ut tenuiores homines nuptias ibi celebrarent. Etiam inter Pompeiana aedificia illud, quod fontibus et concharum ornamentis insigne est (*house of the fountains* dicit G. Gellius in Pompeianis rec. p. 169 sqq.) Nymphaeum appellaverim. Nymphaeum Corinthium memorat Plinius N. H. XXXV,

Digitized by Google

23. Has igitur porticus tetrastichos, cum facile intelligatur, cum tota urbis dispositione artissimo nexu coniunctas fuisse, vix credibile videbitur a Tiberio primum eas conditas esse. Neque autem regibus Epiphane antiquioribus tribui possunt, cum extra Nicatoris urbem, et intra eam muri partem fuisse perspicue tradantur [1]), quam Tiberium adiecisse Malalas, Epiphanem rectius scripsit Strabo [2]). Habemus igitur magnam illam plateam Epiphaniae urbis splendidissimum ornamentum. Apollo autem Omphalo insidens quod iam ante Epiphanem in numis Antiochi Soteris conspicitur [3]): sic videtur explicandum, ut iam in antiquiore urbe locum quendam, qui Omphalus dicebatur, fuisse sumamus, donec urbe ab Epiphane aucta porticuum illarum concurrentium iunctio Antiochiae umbilicus constitueretur.

His autem plateis et porticibus, quae propter splendorem et fortasse columnarum ornatum etiam aureae appellabantur [4]), cum nihil magis ad urbis ornatum facere videretur: omnes fere Syriae urbes, quae magnificentius struebantur, ad easdem rationes dispositae esse videntur. Palmyra

---

12, 43. §. 151. ed. Sillig. In Regionario Einsidlensi (v. Iahnii Seebodiique Annal. Supplem. T. V. fasc. 1. p. 120.) titulus est: *Nimpheum sordium squalore foedatum et marmorum nuditate deforme* etc.

1) V. Malalas p. 233.

2) Refecisse has ἐμβόλους post terrae motum narratur etiam Claudius, Malal. p. 246.

3) Eckhel. D. N. I, III. p. 215. Mionnet *Descr. d. M.* T. V. p. 8. Numus in tab. adi. i. descriptus repetitus est ex forma sulphure expressa.

4) *Χρυσαῖ στοαὶ* appellantur Antiochiae porticus a Dione Chrysost. Or. XLVII. p. 527, 32. (T. II. p. 232. R.). In arce Alexandriae, in porticibus Musei ut videtur, columnarum capitula aerea et inaurata erant. Aphthonius Ἐκφρ. p. 107. in Walzii Rhet. T. I. In navi Ptolemaei Philopatoris columnae Corinthiae erant, quarum scapus ex cupresso, capitula ex auro et ebore facta erant. Eodem sine dubio artificio ornata erant capitula columnarum in pteromate magni Palmyrae templi, quorum media tantum pars, quae crater s. calathus dicitur, saxo excisa est, crispa autem folia cum volutis et caeteris ornamentis ex aere aurato apposita fuisse credibile fit. Luxum hunc auratorum et argento exornatorum capitulorum etiam Sabaeis Arabibus tribuit Diodorus III, 47.

Digitized by Google

certo et in Decapoli vicinaque Gaulanitide [5]) Gerasa et Gamala porticus habent plateae vicem obtinentes, sicut Antiochiae [6]), quae porticus cum in Palmyra tetrastichos sit, non dubito quin media via sub divo, utrinque autem porticus tecta fuerit [7]). Latitudo huius viae est LXXX pedum, longitudo MMMD, ita ut vix sexta pars sit operis Antiocheni. Spatium millenorum pedum LXXXV continet columnas una serie dispositas: quibus si Antiochenae magnitudine et intercolumniorum rationibus respondebant: magna illa platea sex millia fere et octingentas columnas habebat: sed credo Antiochenas grandiores fuisse et laxiori ordine positas, pro magnitudine aedificiorum vicinorum. Non desunt Palmyrae tetrapyla, quorum arcuatione et artificiosa dispositione etiam hoc efficitur, ut ubi platea a recta linea declinat, id visum minus offendat [8]). Singulis columnis, quae Corinthii generis omnes sunt, mutuli adhaerent ex scapo prominentes, quibus statuas impositas fuisse constat. Quod quanquam porticuum nativae pulcritudini mirum quantum nocuit, vereor tamen ne etiam hoc ab Antio–

---

5) Memorabile imitationis exemplum ex urbibus Gaulanitidos etiam hoc adducere licet, Daphnen locum fontibus irriguum et luxuria notabilem prope ad Seleuciam Gaulanitidos fuisse, manifestum imitamentum celebrioris Daphnae. V. Ioseph. de B. I. IV, 1. Hegesipp. IV, 1.

6) De Palmyra v. Wood *the Ruins of Palmyra otherwise Tedmor in the Desart. Lond.* 1753., in quo opere hae porticus minore cura adumbratae sunt, quam a pictore Franco-Gallico Cassas, *Voy. pittor. de la Syrie* tb. 53. De Gerasis Burckhardt *Trav. in Syria* p. 255. et Buckingham *Trav. in Palestina* p. 376. cum tabulis utrique operi adiectis. Idem de simili platea, qua Gamala urbs (quae aliis Gadara est) divisa erat, p. 418.

7) Etiam ex comparatione tabularum ap. Cassas 54. 81. et aliarum intelligi videtur, mediam viam inter binos columnarum ordines fuisse sub divo; nam hac parte coronae supra zophorum integrae supersunt, eodemque conversae sunt proiecturae mutulorum, qui ad signa sustentanda columnis adaptati sunt.

8) Hoc efficitur tetrapylo illo miro artificio composito, quod arcus triumphalis dicitur, cuius ichnographia est apud Cassas tb. 65. Aliis tetrapylis, quorum singuli supersunt arcus, qui quidem quaterni iuncti erant, iunguntur tantum aliae plateae ex transverso incidentes cum media illa.

Digitized by Google

chenis mutuati sint Palmyreni. Certe Tiberium legimus Antiochiae illam plateam aereis operibus signisque exornasse [9]).

24. Minoris moliminis opera, quibus Epiphane imperante Antiochia exornabatur, verbo memorare satis habeo, sicut Charonium illud caput, in monte, qui Antiochiae imminet, vivo saxo excisum, quo Leius quidam mystagogus pestem ab urbe defendisse traditur [1]), et statua Regis taurum domantis ex aere posita in memoriam Tauri montis latronibus liberati [2]). Multo digniora memoratu sunt, quibus Epiphanes Daphnaeum delubrum non condidit quidem, ut sunt qui tradant [3]), sed auxit tamen magnopere. Hic enim fuit, qui cum Apollinaribus sacris Olympii Iovis cultum iunxit, cui omnium maxime favebat. Cuius dei aedis, quae cum Daphnaeo stadio coniuncta et colossea Iovis imagine insignis erat, quanquam a Ioanne Malala ad Diocletianum auctorem refertur [4]), multo tamen rectius ad Epi-

---

9) Malalas p. 232.

1) Malalas p. 205. Tzetzes Chil. II. h. 59. v. 920. Scholia in Exeges. Iliad. ad v. 36. p. 803. Bachm. Charontis hic eadem significatio, quae in Charoneis theatrorum et Etruscae artis operibus. Cf. Ambrosch de Charonte Etrusco p. 53.

2) Libanius p. 311. Statuam Antiochiae fuisse vix dubitari potest. Fortasse hinc Tauriana porta dicta.

3) Ammianus Marcellinus XXII, 13, 1.

4) Malalas p. 307. de Diocletiano: *ἔκτισε δὲ ἐν αὐτῷ τῷ σταδίῳ Δάφνης ἱερὸν Ὀλυμπίου Διός, καὶ ἐν τῇ σφενδόνῃ τοῦ αὐτοῦ σταδίου ἔκτισεν ἱερὸν τῇ Νεμέσει.* Hoc Nemeseos delubrum intelligo fuisse ad metam stadii, circa quam corona quaedam sedilium extruebatur, quod in Ephesio stadio aliisque etiamnunc videre licet; hic cum praecipuo loco agonothetae sederent, in umbilico huius semicirculi, qui *σφενδόνη* dicebatur, Nemeseos signum (quod sublatum queri videtur Liban. ad Theodos. p. 628.) cum aedicula, quae monopteros et orbicularis fuisse videtur, erigebatur, scilicet ut Iustitiam semper respicerent iudices illi. Non dissimili ratione cum Panathenaico Atheniensium stadio, ab Herode Attico extructo, Fortunae delubrum coniunctum erat. V. Philostrat. de Vit. Sophist. II, 1, 5. p. 550. ed. Olear. *τὸ δὲ ἐπὶ θάτερα τοῦ σταδίου νεὼς ἐπέχει Τύχης καὶ ἄγαλμα ἐλεφάντινον, ὡς κυβερνώσης πάντα.* Olympium autem anteriori stadii muro adiunctum fuisse crediderim. Ipsum stadium Ὀλυμπικὸν dicitur a Libanio Antioch. p. 351.

Digitized by Google

phanem revocabitur. Ammianus enim Marcellinus [5]) ab hoc Rege in Daphnaeo delubro positum esse dicit simulacrum Olympiaci Iovis imitamenti aequiparans magnitudinem. Quae verba obscuriora videri variisque tentari possent rationibus, nisi etiam Epiphanis numi, et posthac multa et Regum moneta et quae ab Antiochena civitate ultimis Seleucidarum temporibus (anno CCXXI. et seqq.) signata est, Iovis speciem offerret plane geminam eius, quam Phidias Olympiae posuit [6]). Etenim solio insidens, pallioque circa femora amictus altera manu sceptrum erigit, altera Victoriolam protendit; propter quam haec Iovis forma Νικηφόρου nomine notari solet [7]). Atque libenter admiserim, hoc simulacro non pietatem erga deum, sed insanam aegrae mentis superbiam demonstrasse Epimanem illum, quippe qui in numis ipse Θεὸς Νικηφόρος nuncupetur. Sicut Phidiacum signum, etiam hoc Daphnaeum ex auro et ebore compositum, non statuariorum, sed caelatorum opus erat, cuius generis artificum totos greges Antiochus convocaverat, qui etiam sermonibus eorum gaudebat [8]). Victoria, quam manu tenebat, aurea erat; hanc Alexander ille Zebinas, qui Syriae regnum astu et mendaciis affectaverat, cum ab Antiocho octavo sive Grypo proelio victus Antiochiam profugisset, ad stipendia militibus paranda abstulisse fer-

---

5) XXII, 13, 1.

6) De numis Iove Nicephoro insignibus, qui Seleuco Nicatori tribuuntur (v. Mionnet T. V. p. 3.), dubitare licet, num recte primo Seleuco tribuantur. Cf. Eckhel. D. N. I, III. p. 210 sqq.

7) Eckhel. D. N. I, III. p. 214. cf. p. 268 sqq. Mionnet T. V. p. 31. n. 270 sq. cf. p. 148 sq. *Suppl.* T. VIII. pl. 12, 4. Pellerin. *Recueil de Méd. de peuples* T. III. pl. 67. n. 3. *Méd. de Rois* pl. 9. Museum Sanclementinum tb. 3. n. 46. (Hinc delineatus numus in tab. adi. k.) Victoria in numis Antiochiae urbis, cum annis Seleucidarum, conversa est ad Iovem; in aliis, regiis, tum a Iove avolatura esse videtur, tum Iovem ipsum coronatura. — Notabile est etiam alterius Phidiaci operis, Palladis in Parthenone positae, imitamentum in numis extremae Seleucidarum aetatis conspici. V. ex. gr. Mionnet *Descript. Suppl. T.* VIII. *pl.* 14, 1.

8) Polybius XXVI. Vol. IV. p. 353. Schweigh. apud Athenaeum V. p. 193 d. Quantum eboris idem rex comparaverit, apparet ex eodem Athenaeo p. 194. Cf. Quatremère de Quincy *Jup. Olymp.* p. 339.

Digitized by Google

tur, facetis iocis sacrilegium circumscribens, nam a Iove commodatam sibi esse dicebat [9]). Quod cum eius aviditatem non expleret, ipsius Iovis aureum simulacrum infiniti ponderis evellere voluisse, sed multitudinis concursu prohibitus et in fugam versus esse dicitur [10]). Alii Antiochum Cyzicenum, Sidetis filium qui Grypum devicit, scribunt, aureum Iovem quindecim cubitorum ex delubro sustulisse et ex aere bracteolis substituisse fucatum [11]). Qui cum aperte de eodem simulacro loquantur, apparet hunc Antiochenorum Olympium ingenti fuisse magnitudine, sed aliquanto tamen minorem Olympico Phidiae colosso. Hoc sacrilegium sive agitabatur tantum sive absolutum est: manebat tamen dei signum et sacrorum eius honor usque ad Iuliani et Chrysostomi tempora; sub Romanis principibus etiam Olympicis ludis celebratus, qui inde a Pisa huc translati sunt. Ludis autem iam Epiphanes Iovis ea sacra auxerat; nam ad Iovem praecipue colendum eos institutos esse, numi quidam cum Regis, tum civitatis Antiochenorum sub eo rege signati ostendunt, in quibus dei huius simulacrum extat, dextra protensa coronam ostentans, proinde ac si athletas ad certamina alliceret et invitaret [12]). Quae illorum ludorum fuerit magnificentia, augurari licet ex ludis Daphnaeis, ab Antiocho circa annum 167 a. Chr. celebratis, quos a Polybio descriptos habemus [13]). Nondum tamen ea

---

9) Iustinus XXXIX, 2. Froehlich. Annal. Syr. p. 94.

10) Iustinus l. l. Diodorus Exc. de virt. et vit. XXXV, p. 604 Wess. p. 145 Dind. *συλᾶν* dicit *ἐπιβαλέσθαι* Alexandrum *διά τινων βαρβάρων τὸ τοῦ Διὸς ἱερόν*.

11) Clemens Protrept. p. 15. Sylb. p. 46. Potter. Arnob. adv. gent. VI, 21.

12) Mionnet T. V. p. 215. Froehlich. Ann. Syr. p. 51. n. 20. Pellerin *Recueil des Méd. de peuples T.* III. *pl.* 67. n. 16. (in tab. adiecta I.) *Méd. de Rois* pl. 9. Hunc Iovem viri docti, qui de numis scribunt, Olympium appellare solent. Rectius diceretur Inppiter brabeuta. Non sine caussa in numis his, sub Antiocho IV signatis, *Ἀντιόχεια πρὸς Δάφνῃ* dicta est. (Unde qui fieri potuerit ut Eckhelius colligeret eos numos extra Antiochiam signatos esse, D. N. I, III. p. 305., parum intelligo. Cf. tamen Buttmann. Mythol. I. p. 244.) Tripode, qui Iovi in his numis appositus est, victoriae praemia indicantur.

13) Polyb. XXXI. (Vol. IV. p. 495.) apud Athenaeum V. p. 194 sqq. X. p. 439. De panegyricis solennibus a Grypo Daphnae magno sumptu celebratis Athenaeus

Digitized by Google

aetate Olympii ludi certa lege redeuntes instituebantur, quod constat non ante Commodum imperatorem factum esse.

25. Insequentibus temporibus, cum regum Syriae potentia discordia et mollitie in dies magis frangeretur, Antiochiae tamen opes et splendor haud imminuebantur. Scilicet et agrorum fertilitate et commerciorum frequentia non mutata durabant etiam opes et luxus civitatis. Itaque cum urbs eo terrae motu, quem supra (§. 5.) primum recensuimus, anno p. Chr. 148. vastata esset, tota instaurata est [1]). Quod quanquam Malalae vel potius Domnino, ad quem provocat, credimus: splendidiorem tamen urbem ex ruina resurrexisse [2]), non credemus, si Syriae regni vires sub Antiocho tertio et quarto cum eo rerum statu comparamus, qui tum obtinebat, cum Alexander Balas, ab Aegyptiis in regnum Syriae missus, auctoritatem vixdum inter Syros stabilitam mollitie et ignavia in dies frangeret. Alia clade, interno bello et seditione regnante Demetrio eo, qui Nicator dicitur, Antiochenorum urbs vastata est. Quae Antiochenorum seditio eo creverat, ut Demetrii regia, puto eadem quam supra descripsi, oppugnaretur. Defendebant eam milites mercenarii, inter quos multi Iudaei fuisse dicuntur, inde a tecto regiae, quae arcis instar erat, propugnantes. Hinc cum faces proximis tectis iniectae essent, urbs, quae ligno magna ex parte extructa erat, fere tota incensa esse dicitur [3]). Dicuntur regni incolae huic regi infesti

XII. p. 540. ex Posidonii l. XXVIII. De eadem re dici ab Athen. V. p. 210. observat Bake Posidon. p. 146. *Περὶ τῶν ἐν Δάφνῃ πανηγύρεων* laudatur ab Athenaeo Protagorides Cyzicenus.

1) V. Malalas p. 207. 208. (V. 88.) Antiochus *ὁ ἔκγονος Γρύπου* (*Γλαυκοῦ* puto, v. p. 207.), *υἱὸς Λαοδίκης θυγατρὸς Ἀριαράθου*, quo VIIII annum regnante hoc accidisse Malalas scripsit, ab historia horum temporum non agnoscitur, qua, Alexandrum Balam Syriam obtinuisse eo tempore, quod inter Demetrium Soterem Seleuci IV filium et Demetrium Nicatorem Soteris filium intercedit, notissimum est. Sed credibile est, Antiochenos, qui Alexandrum illum in odio haberent (Ioseph. Antt. Iud. XIII, 4, 7.), in fastis suis alium nescio quem Seleucidarum stirpis nepotulum pro genuino Rege habitum hoc loco inseruisse.

2) *βελτίων ἐγένετο*, Malalas p. 207.

3) Liber de Maccabaeis I. c. 11, 45. Iosephus Antiqq. Iud. XIII, 5, 3. De eadem re narrat Diodor. Exc. de V. et V. XXXIII. p. 132. Dind.

Digitized by Google

fuisse etiam propter patrem (Demetrium Soterem), qui cum sibi arcem quatuor turribus munitam (*τετραπύργιον βασίλειον*) non longe ab Antiochia extruxisset, ibi deses neque regni neque urbis curam habebat [4]). Insequentibus temporibus Syriae reges deorum delubra, quae ab eorum maioribus tanto sumptu ornata erant, etiam spoliare coepisse: exemplo Alexandri Zebinae, quem Ptolemaeus Physcon in regnum Syriae subornaverat, et Antiochi Cyziceni, qui Sidetis filius erat, vidimus. Nunc perventum ad cruenta illa et dira tempora, quibus Cleopatrae et Tryphaenae sororum infestissimis odiis Syrorum regum res in ultimum discrimen adductae sunt. Tum Antiochia, in qua erat Cyziceni uxor Cleopatra, ab Antiocho Grypo obsessa: qua capta Tryphaena, uxor Grypi, nihil antiquius habuit quam ut Cleopatra requireretur, et cum in delubro, Daphnaeae puto Dianae, inventa esset, ut a militibus praecisis manibus deae simulacrum amplexantibus confoderetur [5]). E filiis Grypi etiam memorare opus est Antiochum et cum eo coniunctissimum Philippum, qui devicto fratre Demetrio, qui tertius numeratur, anno a. Chr. 88, Antiochenorum CCXXV. Antiochiam occupavit Syriaeque regno potitus est [6]). Huius frater, quem diximus, Antiochus, qui eodem, quo ille, cognomine appellatur Epiphanes Philadelphus, miro modo extollitur a Malala, quod praeter alia opera, quibus Antiochiae suburbia ornaverit, etiam Daphnae duas aedes, Apollinis et Dianae, condiderit [7]): quae nisi ficta sunt,

4) Iosephus Antiqq. Iud. XIII, 2, 1. Cf. tamen Polyb. XXXII, 4, 1. Contra Antiochi Sidetae exercitus, qui cum ipso Rege a Parthis caesus est (a. Chr. 131.), magnam partem ex Antiochiae incolis conscriptus erat: quo factum ut cum nuntius eius cladis Antiochiam allatus esset, per omnes fere domos summus cooriretur luctus. Diodorus Exc. l. XXXIV sq. fragm. 9. (Mai, Script. Vet. Nova Coll. V. II. p. 106.)

5) Iustinus XXXV, 3.

6) Iosephus Antiqq. Iud. XIII, 14, 3.

7) Malalas p. 234. *ὡσαύτως δὲ καὶ Ἀντίοχος ὁ βασιλεὺς πάλιν ὁ λεγόμενος Φιλάδελφος ἔκτισεν ἔξω τῆς πόλεως πολλά· ὅστις καὶ ἐν Δάφνῃ ἔκτισεν ἐν τῷ ἄλσει ἱερὰ δύο, Ἀπόλλωνος καὶ Ἀρτέμιδος κ. τ. λ.* De cognomine Epiphanis Philadelphi v. Eckhel. D. N. I, III. p. 244. Cf. Froehlich. Annal. Syr. ad a. Seleuc. 220. a. Chr. 93.

cum in breve regnum huius Philadelphi non quadrent, eum in modum aucta sunt, ut quid veri subsit, nunc intelligi nequeat. Ad Philippum autem, cui Barypodi cognomen inditum est, Qu. Marcius Rex (idem, ut videtur, qui anno u. c. 685. a. Chr. 68. consulatum gessit) Roma missus venisse dicitur, ad tributum, ut tradit Malalas, irrogandum, idemque ex sumptibus struxisse Antiochenis veterem Circum et vetus Palatium [8]). Quae fama quanquam et ipsa in maius aucta videri potest: agnoscimus tamen Romanos civitatis opulentae ac suis ipsius regibus nimiae et formidolosae animos tentantes et ambitus illecebris dominatum sibi struentes.

26. Paucis annis post (a. Chr. 83.) Tigranes, Armeniae rex, in regnum Syriae accitus est, vel se ipse accivit: quem non totam quidem Syriam, sed Antiochiam saltem obtinuisse, numi capite Regis et simulacro urbis ornati ostendunt. Quo rege barbaro Antiochenorum mores et sacra et artis ingenium magnopere mutata esse non credibile; potius Graecos barbarum mores induisse statuemus. Graecorum autem religiones cum Chaldaica superstitione in Syria iam ante Tigranem misceri coeptas esse crediderim, quanquam ab eo demum tempore etiam in numis themata genethliaca observantur [1]). Tigranes autem Syria excedere coactus est a Lucullo; regnumque avitum redditum Antiochi Cyziceni nepoti, Eusebis s. Pii filio Antiocho, qui quanquam nil nisi umbra regis Romanorumque ludibrium, in numis tamen magnificis gloriatur nominibus *Διονύσου Ἐπιφανοῦς*

---

8) Sic Malalas p. 225. (291): Ἔκτισε δὲ πρώην τὸ αὐτὸ παλαιὸν ἱππικὸν καὶ τὸ παλαιὸν παλάτιον ἐκ τῶν ἰδίων Κοΐντος Μαρκιανὸς ῥὴξ Ῥωμαίων, κατελθὼν ἐν Ἀντιοχείᾳ τῆς Συρίας πρὸς Φίλιππον τὸν βαρύπουν τὸν Μακεδόνα τὸν βασιλεύοντα ἐν Ἀντιοχείᾳ, τυπῶσαι φόρους διδόναι αὐτὸν Ῥωμαίοις. Quem Malalas Qu. Marcianum regem Romanorum dicit, erat Qu. Marcius rex, idem opinor, qui L. Metelli in cos. collega fuerat a. u. 685. Hippodromus ille sive Circus, quem postea Agrippa instauravit, erat in Campo, *ἐν τῇ πεδιάδι* p. 307. et vel in nova urbe vel prope eam (Euagr. II, 12.). Traianus plures dies ibi degit, ut tutus esset a terrae motu, Dio Cass. LXVIII, 25. Anterior eius pars turribus instructa erat, sicut oppidum quod dicitur in circis Romanis, Euagr. II, 12. Cf. Libanius p. 345., locus mutilus, quo de venationibus in Circo dixisse videtur; posthaec de magno sedilium numero sermo est.

1) V. supra §. 12.

I 2

Digitized by Google

Φιλοπάτορος Καλλινίκου. Hic igitur Antiochus, qui a Romanis Asiaticus dicitur, Philopator ille Antiochus est, quem Malalas narrat ex bonis a Marone Antiocheno, cum ille Athenas migraret, civitati relictis Musarum aedem et, ad imitationem Alexandrini Musei, bibliothecam extruxisse [2]: puto ad iuvanda eruditorum hominum studia, quorum frequentia Antiochiam tum cum maxime floruisse, Cicero testatur eorum temporum aequalis [3]. Quod Museum cum eodem incendio, quo curia et fori maior pars, Tiberio imperante absumptum sit, in eadem urbis parte, id est in Epiphania, haud longe a Silpio monte situm id fuisse statuemus. Quae autem eius Musei condicio inferioribus fuerit temporibus, tum quaeremus, cum ad ea pervenerimus [4].

27. Nunc quoniam ad id tempus pervenimus, quo Pompeius [1]) Syriam provinciam P. R. esse iussit: subsistamus paulisper, et ad quem statum sub Regibus pervenerit, consideremus. Ac primum quidem quod ad magnitudinem attinet, urbs tum iam ad eos fines excreverat, intra quos se sub imperatoribus Romanis continuit, donec a Iustiniano in angustiorem multo ambitum contracta est. Longitudinem supra diximus fuisse XXXVI stadiorum, latitudinem si ab dextro Orontis flumine ad scopulos illos, quos Epiphaniam comprehendisse vidimus, computaveris, vix XXX stadiis minorem invenies, unde efficitur, si urbem rectanguli figura fuisse ponimus, spatium eius MLXXX quadratorum stadiorum fuisse, a quo si demuntur quae demenda sunt, apparebit tamen, inter urbes nostrorum temporum Lutetiam magnitudine Antiochiae non multum antecellere. Haec de Quadrurbio dixi, cui accedunt suburbia longe lateque patentia, maxime ultra

2) Malalas p. 235.

3) Cicero pro Archia poëta 3, 4: *Archiae .. Antiochiae .. celebri quondam urbe et copiosa atque eruditissimis hominibus liberalissimisque studiis affluenti, celeriter antecellere omnibus ingenii gloria contigit.*

4) Dissertat. II. §. 16.

1) Pompeii quae apud Antiochenos fuerit gratia et auctoritas, clariore non potest demonstrari testimonio, quam ridiculo illo Catonis introitu, de quo narrant Plutarchus Caton. min. 13. et Iulianus Misopogone p. 358. Spanh. ex Damophilo Bithyno.

Digitized by Google

dextrum Orontis flumen [2]), et occidentem versus, qua regione Heracleis urbi, Heracleidi Daphne continuabatur [3]). Ex ingenti aedificiorum numero, quibus ea area superstructa erat, quorum memoria superest, eam diligenter instauravimus, sed quota pars haec eorum, quae oblivionis caligine opprimuntur! Deorum aedes, praeter Apollinis Dianaeque et Iovis Olympii templa Daphnaea, in ipsa urbe haec memoravimus: Iovis Bottii et Ceraunii Saturnique (§. 6.) delubra, Tychaeum Eleusiniumque et Iseum et Museum et Nymphaeum et Capitolium Antiochenum. Constat autem, quemque ex Seleucidarum gente regem, neque reges solum sed etiam reginas, auram popularem captantes sacris aedibus extruendis deorum honori suaeque satisfecisse vanitati; aliumque Cereri, alium Herculi, alium Minoi, alium alii deo aedem vovisse, Libanius testis est [4]), ita ut

2) Libanius p. 340.

3) Supra §. 16.

4) Apposui Libanii locum totum, quo in proximis etiam uterer, ex Antioch. p. 311. 312. R. *Πάντες δὲ (οἱ βασιλεῖς) ἓν ἐκεῖνο ταὐτὸ φρονήσαντες, τὸ, ἣς ἕκαστος παρελάμβανε μείζω παραδοῦναι τὴν πόλιν. ὁ μέν τις Μίνωος ἱερὸν ἐποίησεν, ὁ δὲ Δήμητρος* (cf. *Πρεσβευτ.* p. 480. Iulianus Misopogone p. 346. Spanh.), *ἄλλος Ἡρακλέους* (hoc cecidit sub Claudio, cum templo Dianae et Martis; v. Malal. p. 246. et de Martis delubro diss. II. §. 2.; Dianae et Martis solennia coniuncta fuisse discitur ex Malal. p. 285.), *ἕτερος ἑτέρου. καὶ τῷ μὲν ἐδημιουργεῖτο θέατρον, τῷ δὲ βουλευτήριον* (v. supra §. 21.). *ὁ δὲ ὁδοὺς ἐλέαινεν, οἱ δὲ τὰ Νυμφῶν ὀχετοῖς ἐκόμιζον. οἱ μὲν ἐκ προαστείων εἰς τὴν πόλιν, οἱ δὲ εἰς τὸ νεώτερον μέρος ἐκ τῶν πηγῶν αἷς ἡ παλαιτέρα βρύει. νεώς τε ἐπὶ νεῷ κατεσκευάζετο, καὶ τὸ πλεῖστον ἦν τῆς πόλεως ἐν τοῖς ἱεροῖς. τὸ γὰρ αὐτὸ κόσμος τε τῇ πόλει καὶ φυλακὴ τῶν θεῶν τὰ ἀνάκτορα.* Et idem infra p. 313. *ἀλλὰ καὶ τῶν ἐκείνων γυναικῶν, αἳ τοὺς ἱστοὺς ὑπερβᾶσαι κρείττους ἐγένοντο τῆς φύσεως εἰς τὴν πόλιν φροντίδας ἀνδράσι προσηκούσας ὑπομένουσαι, αἱ μὲν βοηθοῦσαι τοῖς περὶ τὰς ταφὰς νόμοις, αἱ δὲ τοὺς μὲν θεοὺς ἱεροῖς τιμῶσαι τὴν δὲ πόλιν τιμῇ κοσμοῦσαι.* De templis adiungo Libanii locum ad Iulianum Leg. p. 480. *ἱκετεύει σε πόλις, πολλούς σοι θεοὺς παρασχομένη συμμάχους οἷς ἔθυσας, οὓς ἐκάλεσας, μεθ' ὧν ἐστρατεύου, τὸν Ἑρμῆν* (cf. Liban. p. 405., ea aedis eo loco erat, quo postea Rufini basilica, diss. II. §. 16.), *τὴν Δήμητρα, τὸν Ἄρη, τὴν Καλλιόπην, τὸν Ἀπόλλω, τὸν Δία τόν τε ἐπὶ τῆς Κορυφῆς καὶ τὸν ἐν ἄστει.* De Cal-

Digitized by Google

magna urbis pars ex deorum constaret delubris. Inter templa, quae modo diximus, maxime nos advertit Minoium: quod haud dubie honori Cretensium debetur, qui ex Casio monte Antiochiam traducti esse ferebantur (v. §. 6.). Nimirum ea aetate, qua Graecarum et Asiaticarum fabularum facta est commixtio, proclive erat, Cretensium heroum stirpem quaerere in Syria et Palaestina. Tum Gaza Minoia appellata est [5]), et, sicut Antiochia, Ione [6]); et Gazaeorum deus Marnas ab aliis Iuppiter Cretagenes dictus [7]), ab aliis, ut barbarus quidam et obscurus deus, in inferiorem multo dignitatem depressus et Asterii Cretensis servus habitus est. Id autem aegre ferimus, quod a nullo scriptore certiores facti sumus, quo nomine Asiani illi dii culti fuerint, quorum imagines inde a Demetrio II. in numis Seleucidarum inveniuntur, modo Iovem Belum, modo deam quandam Dianae Ephesiae similem, modo alia barbarae superstitionis figmenta referentes [8]).

28. Etiam theatrum Antiochenis a regibus iam structum esse, ut statuamus, vix opus est Libanio teste: quanquam Malalas ante Caesarem nihil de theatro Antiocheno. Hunc autem narrat Antiochenis theatrum

liopes delubro in media urbe cf. Libanius Monod. p. 336. Iulianus Misopog. p. 357. Spanh. Hoc ad delubrum etiam ea pertinent, quae Libanius in extr. orat. ad Theodosium *ἐπὶ ταῖς διαλλαγαῖς* dicit p. 677. R. Recte Gothofredus statuit, illa quoque Libanii, *ὑπὲρ τῶν ἱερῶν* p. 201. *εἰπέ μοι, διὰ τί τὸ τῆς Τύχης* (cf. §. 15.) *τοῦτο οὐν ἐστὶν ἱερὸν καὶ τὸ τοῦ Διὸς καὶ τὸ τῆς Ἀθηνᾶς καὶ τὸ τοῦ Διονύσου*, ad Antiochiam spectare. De Bacchi delubro v. diss. II. §. 4. De Minervae aede cf. diss. II. §. 12. Nescio, quantum tribuam Arabibus, qui narrant, Martis (planetam intelligunt) templum, Esseieda dictum, fuisse in media urbe, non procul a thermis; Saturnique mirabile templum ad pontem *Kantara essamak*, balneo vicinum, situm fuisse. V. *Gihân Numâ* p. 343. et cf. diss. II. §. 22. ann. Certe hoc Saturni templum distinguendum ab illo, quod §. 6. memorabatur.

5) Stephan. Byzant. s. vv. *Γάζα* et *Μινώα*.

6) Idem s. v. *Γάζα*.

7) Idem l. l. Et v. Hoeckius Cretic. II. p. 368 sqq. Has opiniones Alexandriae viguisse, intelligi videtur ex interpretatione loci Sophoniae c. 2. v. 5, a LXX interprett. facta.

8) V. maxime Mionnet *Descr. Supplém.* T. VIII. pl. 13, 1. 4. 14, 2.

Digitized by Google

struxisse in monte acropoleos [1]); alteram zonam additam esse theatro Antiocheno ab Agrippa [2]); tertiam zonam huic theatro, quod ad montem erat, addidisse Tiberium [3]); Traianum denique totum opus perfecisse [4]). Ex his, quae modo posui, intelligitur, theatri huius caveam, in qua spectatores sedebant, ut in Graeciae urbibus fere ubique etiamnunc videre licet, ad montem fuisse acclinatam et ex ipsa rupe excisam, in qua fortasse peritiores et diligentiores locorum investigatores cavum illud agnoscere et demonstrare poterunt. Et ita quidem montis summa impendebant theatro, ut cum Gallieni temporibus Sapores Persarum rex verticem illum ex improviso occupasset, populi Antiocheni magna pars in theatro sedens a sagittariis Persis configeretur [4*]). Videtur autem prima tantum zona, id est infima cavea infra primam praecinctionem sive circuitum vivo saxo excisa fuisse (et sufficere poterat haec, cum etiam ex ipso monte quae in theatro agebantur spectari possent [5]); secunda et tertia zona, sive media et summa cavea, supra primam et secundam praecinctionem ex saxo quadrato superstructa esse. Haec pars theatrorum structurae satis nota est: accedo ad aliam minus explicatam. Dico Nymphaeum Proscenii, in quo Traianus Fortunae Antiochiae statuam tetracionio circumdatam reposuisse dicitur [6]). Nymphaeum antrum est Nympharum, atque, de quo supra

---

1) p. 217. *Τὸ ὑπὸ τῷ ὄρει θέατρον* dicit Libanius *περὶ τοῦ πλέθρου* p. 273. Idem p. 345., ubi de variis theatrorum generibus, quibus amphitheatra comprehendit, loquitur, *τὰ μὲν ἀθληταῖς ἐναγωνίσασθαι πεποιημένα, τὰ δ' ἀνδράσι πρὸς θηρία* dicit, *πάντα ἐν μέσῃ τῇ πόλει, καὶ οὐκ ἀναγκάζονται προλυπηθῆναι τῶν ἰδίων τῷ μήκει τῆς ἐπ' αὐτὰ πορείας.* Io. Phocas p. 2. ed. Ven. Antiochiam olim splendidam fuisse dicit *μεγέθει θεάτρων, στοῶν καλλοναῖς καὶ ναῶν ἀφιδρύμασι.*

2) p. 222.

3) p. 234. 235. cf. Tacitus H. II, 80. Iosephus B. I. VII, 3, 3. 5. 2.

4) p. 276.

4*) Eunapius Vit. Sophist. Aedes. p. 44. Steph. (29. Boisson.) de Sapore: *ὅς γε τὴν ἄκραν τὴν ὑπερκειμένην τοῦ θεάτρου καταλαβὼν ἀδοκήτως καὶ ἐξαπιναίως τὸ πολὺ πλῆθος τῶν θεωμένων ξυνετόξευσε καὶ διέφθειρε.*

5) Hoc intelligitur ex Libanio *περὶ τοῦ πλέθρου* p. 293.

6) Malalas p. 276. Hic scriptor cum has Fortunas omnes virgines dicat ab iis

Digitized by Google

(§. 22.) dicebatur, aedis rotunda et convexa antri similis; huic autem proscenii Nymphaeo praecipue comparanda Nymphaea, quae in tabernaculo Bacchico, a Ptolemaeo Philadelpho magnifice apparato, supra columnas et epistylium zophori locum obtinebant, alternatim composita cum antris Bacchicis, specie ut videtur leniter cavata et superne convexa [7]). Itaque etiam in theatro supra columnationem proscenii et infra fastigium, quo scenam putaverim coronatam fuisse, cava fuisse loca opinor artificiose exornata et satis ampla ad excipiendum signum cum tetracionio suo. Quanquam fortasse probabilius est, ipsum fastigium s. aetoma forma fuisse convexa eoque architecturae ornatu, ut Nymphaeum dicere potuerit [8]).

29. Amphitheatrorum structura ab his Macedonum temporibus aliena, nisi forte Antiochus Epiphanes, Romanorum morum ambitiosus affectator, etiam his ludis cives suos assuefacere coepit. Sed aquarum ductibus Antiochia iam ante Romana tempora cum Roma certasse videtur, siquidem Libanio teste cum ex suburbiis in urbem, tum ex vetere urbe altius sita in novam a regibus aquae deductae erant, quod fieri non poterat, nisi arcuatione supra Orontis flumen structa. Hinc intelligitur, etiam Graecis Asiae urbibus aquaeductuum usum et ornatum non defuisse. Miror Libanium cum aquis non coniunxisse thermas, quas ante Romanorum tempora Antiochiae fuisse magnificas, etiam confidentius affirmave-

---

immolatas, qui illas statuis decoravere: huc etiam facit, quod p. 235. Tiberius, cum secundam zonam theatro adderet, Antigonen virginem mactasse dicitur. Ornavit ni fallor theatrum Antigoniae Fortunae (v. supra §. 15. extr.) signo.

7) Callixenus apud Athenaeum V. p. 197. *κατὰ μέσον δὲ τῶν ἄντρων Νυμφαὶ* (sic Casaubonus, *νύμφαι* codd.) *ἐλείφθησαν, ἐν οἷς* (Casaub. *αἷς* codd.) *ἔκειντο Δελφικοὶ χρυσοῖ τρίποδες, ὑποστήματ᾽ ἔχοντες.* Et antra et nymphaea erant supra columnas, quarum altitudo erat L cubitorum, et epistylium, in quo scuta aurea et argentea erant, infra fastigia, quae XV cubita alta erant, in zophoro quodam, cuius altitudo erat VIII cubitorum. Antra metoparum instar profundius excavata erant, quippe quae scenicarum personarum convivia ad naturam expressa continebant; Nymphaea, in quibus tripodes erant, altius extabant.

8) Fortasse Nymphaeum hoc erat coniunctum cum cava illa et semicirculari scenae parte, quae in theatris Asiae nonnunquam conspicitur, velut in theatro Laodiceno, cuius ichnographiam Antiquitates Ioniae exhibent.

Digitized by Google

rim *). Thermae enim, quales Agrippa in Campo struxit, nihil Romanis moribus peculiare continent, sed quasi conflatae sunt ex balneis, quas ex Graecia Romam translatas scimus, et gymnasiorum palaestris, xystis, stadiis, porticibus. Quod temperamentum cum a liberis Graecorum rebus publicis alienum fuerit: cui tempori attribuemus, nisi Graecis regibus, maxime Asiae, in qua etiamnunc antiquarum thermarum ruderibus ad eandem calidae, tepidae, frigidae lavationis varietatem utuntur, caelo et moribus proinde ad hunc luxum homines invitantibus: quanquam Antiochenos ex immodico eorum usu non iuventutem, sed senectutem nactos esse, vere affirmasse videtur Apollonius Tyanensis [1]. Quid quod Posidonius in sexto decimo historiarum libro de luxu, quo Syriae urbes corrumpebantur, scribens [2] hos homines, dicit, gymnasiis pro balneis uti: quo thermarum illarum origo aperte indicatur. Sed satis habemus hinc thermas Romanorum repetere; quales illae a regibus Antiochenis structae fuerint, cognoscere non concessum: nisi fortasse quod Antiochiae hiberna lavacra ab aestivis distinguuntur, illa a frigido aere seclusa, haec in monte sita et altis, ut videtur, columnis suspensa, a regibus Seleucidis inventum esse statuere licet [3].

30. Ut finem faciam huius operae meae partis: etiam mortuorum sedes annotabo a regibus splendidius esse exornatas. Quod enim Libanius dicit, unam ex reginis Antiochiae monimentorum sepulcralium reli-

*) V. supra §. 3. ann. 13.

1) Philostr. V. Apoll. I, 16. p. 20.

2) Apud Athenaeum V. p. 210. f. XII. p. 527. e.

3) Euagrius Hist. Eccl. VI, 8. (cf. Nicephor. XVIII, 13.) duo commemorat Antiochiae lavacra *τὰ πρὸς τὰς ὥρας διῃρημένα*, i. e. Henrico Valesio interprete ea, quae secundum anni tempora sic divisa erant, ut alterum hibernum alterum aestivum esset. Idque confirmo teste Libanio, Antioch. p. 345. R., qui lavacra Antiochena dicit *τὰ μὲν ἁρμόδια χειμῶνι, τὰ δὲ συμβαίνοντα θέρει, τὰ μὲν ἔξω πνευμάτων σφοδρῶν, τὰ δὲ ὥςπερ μετέωρα καὶ οὐ κοινωνοῦντα τῆς γῆς*. *Θερινὸν λουτρὸν* Aphrodisiadis urbis extat in titulo Corp. Inscr. Graec. n. 2804. Etiam Romae utrumque genus institutum fuisse, discitur e Capitolini Gordiano III, 32. Plato in Critia p. 117. in Atlantidis descriptione distinguit piscinas sub divo a calidis lavacris hibernis, quae sub tecto erant.

Digitized by Google

gioni providisse, id, praesertim cum locus ille universus ad aedificia urbis pertineat, significat, Necropolin quandam sumptibus et cura eius instructam esse. Quae Necropolis nullo alio loco esse poterat quam in rupibus et convallibus Casii montis supra Antiochiam, in quibus etiamnunc permulta sepulcra saxo excisa cellulaeque, quas postea anachoretae in hac necropoli degentes sibi inde paraverunt, conspiciuntur [1]), et diligentiore locorum perquisitione fortasse eiusdem generis monimenta apparebunt, quo rupium circa Cyrenas devexa omnia et anfracta nuper oculos peregre venientium in se traxerunt.

---

1) Sic Zeno monachus, qui circa a. 420 p. Chr. mortuus est, degit in sepulcro in monte Antiochiae imminente. V. Act. Sanct. Febr. T. II. p. 390. Plurima horum monachorum mentio in scriptoribus, qui de turbis Antiochenis dixerunt, quae Theodosio imperante motae sunt, in Chrysostomo, Theodoreto, etiam Libanio T. II. p. 199. R. V. supra §. 12. et cf. diss. II. §. 20. De hac Necropoli v. Buckingham *Trav. to the Arab. tribes* p. 565. Kinneir *Journey thr. Asia minor* p. 152. Richter *Wallfahrten* p. 281.

Digitized by Google

DE
ANTIQUITATIBUS ANTIOCHENIS.
COMMENTATIO ALTERA
QUA ANTIOCHIAE URBIS FORMA QUIBUS MODIS SUB ROMANORUM IMPERIO MUTATA SIT, OSTENDITUR.

AB AUCTORE
CAR. ODOFR. MÜLLER

RECITATA IN CONSESSU SOC. REG. D. VIII. IUNII A. MDCCCXXXIX.

1. Perventum est ad ea tempora, quibus orbis terrarum, quae mare internum circumsepiunt, in Romanum cessit imperium, et pro Regibus Caesares cum cetero nationum agmine etiam Syriam obtinuere. Neque tamen haec tempora Antiochiae opes fregerunt: quid quod cum novo annorum computandorum ordine etiam nova publicorum operum et monimentorum seges ex ambitu et gratia principum in hac urbe crevit. Nam cum iam Pompeius (Olymp. CLXXVIII, 4. ab u. c. 690. a. Chr. n. 64.) praecipue Daphnaeo delubro amplificato de Antiochenis bene meruisset [1]), eique autonomiam sive libertatem, quae vocabatur, concessisset [2]): Iulius Caesar, ne minor Antiochenorum εὐεργέτης videretur, quo tempore ad Pharnacen debellandum Alexandria in Syriam moverat, i. e. anno ab u. c. DCCVII, a. Chr. n. 47., Antiochiae libertatem tanquam integrum munus edicto ad Antiochenos misso tribuit. Hoc edictum Antiochiae publice recitatum est die XX Artemisii, sive Maii mensis, cum octo diebus ante, XII die eiusdem mensis, Caesarem dictatorem promulgassent

1) V. dissert. I, §. 16. ann. 17. — Daphnen Antonio et Octaviano triumviris magnum fuisse Antiochiae suburbium, intelligitur ex Dione Cassio LI, 7.

2) Porphyrius apud Scaligerum p. 227. Hoc usus est Norisius Ann. Syromaced. diss. III, c. 3. p. 157. Vaillant Numism. aerea Imp. in col. T. I. p. 33.

Digitized by Google

Antiocheni. Caesar ipse die XXIII Artemisii urbem intravit [3]). Ab his igitur libertatis auspiciis annos computarunt Antiocheni, sed mutatis tamen, scilicet ut Caesari etiam magis placerent, rationibus huius computationis sic, ut non ab ipso Caesaris adventu, sed a pugna Pharsalia initium facerent, tanquam ea pugna non modo Caesaris dominatus, sed etiam suorum temporum felicitatis fundamenta iecisset. Itaque prima indictio sive primus annus Antiochenorum is est, qui a primo Septembris s. Gorpiaei, vel Octobris s. Hyperberetaei, vel Novembris s. Dii (nam sic de Antiocheni anni initio sententiae differunt [4])) die anni u. c. DCCV, a. Chr. 49, usque ad eundem diem anni u. c. DCCVI, a. Chr. 48. computatur [5]).

Quod horum edictorum, et actorum, ut multorum operum publicorum, incendiorum, terrae motuum, aliarum rerum, quae ad statum urbis Antiochiae spectant, tam plena memoria et accurata temporum notatio superest: id vix crediderim historicis illorum temporum scriptoribus deberi: cum nulli essent, quorum quidem nomen servatum est, qui res eius civitatis tam diligenter tractarent. Itaque non potest ea nisi ex monimentis commentariisve publicis ducta esse: .quae qualia esse potuerint, non intelligo, nisi eandem formam habebant atque Acta diurna Populi Romani.

---

3) Haec ex Malala p. 216. B. (91. Ven.): quae sic intellecta bene concinunt cum Hirtio de bello Alex. c. 65. 66. *Commoratus fere in omnibus civitatibus* (Syriae) *quae maiores sunt dignitate, praemia benemeritis et viritim et publice tribuit etc.* Etiam in his rebus divina illius hominis ingenii acies cognoscitur, quia incredibilem rerum molem paucissimis diebus profligavit. Caesaris edicti prima verba sunt: Ἐν Ἀντιοχείᾳ τῇ μητροπόλει ἱερᾷ καὶ ἀσύλῳ καὶ αὐτονόμῳ etc. Quibus appellationibus omnibus Antiochia etiam in numis suis superbit. Eadem, quae ex Malala hausimus, habet etiam Chronicum Paschale p. 187. a. Par. 354. Bonn., nisi quod Caesarem dictatorem Antiochiae promulgatum dicit die XXII Artemisii mensis.

4) v. diss. I. §. 9. ann. 9.

5) Intellexerant id iam Petavius et Usherus; uberius demonstravit Norisius III, 4. p. 165. Cf. Eckhel. D. N. P. I. V. III. p. 268. 279. Ideler Enchirid. chronol. T. I. p. 459 sqq. Compend. chronol. p. 192 sqq. Belleius, Mem. Ac. Inscr. XXX. p. 272 sq. Graecos quidem ab a. 705., sed Syros ab a. 706. numerasse existimat.

Digitized by Google

Nam in his constat eadem plane consignata esse, Senatusconsulta, magistratuum edicta, aedificia, incendia, et quae sunt similia. Ac vero Antiochiae Acta ipse Malalas in rebus Iustiniani memorat [6]), nec quidquam obstat, quominus eadem vel similia commentaria iam sub Seleucidarum regno conscribi coepta esse credamus. Ex his autem Domninus sive Domnus, chronographus Antiochenus, quo solo teste Malalas in rebus patriae urbis utitur [7]), pleraque quae composuit sumpsisse videtur: cuius fides et auctoritas ex ipsis fontibus, quibus usus est, aestimari poterit. Nam in omnibus rebus, quas dixi, eam prae se fert certitudinem, quam monimenta publica praestant: res imperii Romani ac principum saepe ex rumoribus, ut populi delectandi caussa in Acta relatos esse credibile est, incertis et fallacibus rettulisse videtur: quae de vetustis temporibus adiunxit, Asianarum civitatium fabulis corrupta et pragmatico studio artificiose composita, ea qualia fuerint, supra vidimus [8]).

2. Caesar cum statim intellexisset, Antiochenis placeri maxime splendidis operibus extructis: basilicam aedificari iussit, quae in memoriam conditoris Caesarium dicta est. Huius Caesarii cum et situs et forma ex Annalibus Antiochiae etiam nunc satis definiri possit: non iniucundum erit colligere omnia, quae de eo sciri possunt. Situm id erat eo loco, quo Parmenius sive Phyrminus torrens ex monte defluebat, exadversum Martis delubrum, quod postea in Macellum mutatum est [1]). Hic medius fere

6) V. Malalas XVIII. p. 443. (61. V.), ubi Antiochiam acclamatione populi dictam esse Theupolin, legi tradit *ἐν τοῖς χαρτίοις τῶν τὰ ἄκτα γραφόντων τῆς αὐτῆς πόλεως.*

7) Domninus s. Domnus a Malala, si unum de fabulis Graecis locum exceperis, p. 88. (36. V.), nonnisi in rebus Antiochenorum laudatur. V. p. 142. (60.) 208. (88.) 235. (99.) 266. (113.) 273. (116.) 287. (123.) 297. (127.) In fabulis, quas immiscet, explicandis hic Domninus facile vanissimum omnium allegoretarum agit. Cf. Lobeck. Aglaoph. T. II. p. 998. Io. Tzetz. Exeges. Iliad. p. 746. ap. Bachmann. Cephalionem, Palaephatum et Domninum eodem allegoricorum fabulatorum genere comprehendit.

8) Egregie de Malala Gibbo T. V. p. 326. n. 87. „*Whe may distinguish his authentic information of domestic facts from his gross ignorance of general history.*"

1) Haec colliguntur ex his Malalae locis, p. 216. (91. V.) 275. (117.) 287. (122.)

Digitized by Google

Epiphaniae urbis locus erat. Basilica cum esset, non poterat non esse aedificium rectangulare, oblongum, columnis disseptum et fultum. Sed propter amplitudinem, sicut in templis hypaethris, medius locus patulus sub divo relictus esse videtur: hic dicitur *τὸ τῆς βασιλικῆς ἐξάερον* [2]. Hemicyclium autem, quod in extrema basilica esse solebat, et apud Romanos tribunal appellatur, in hac Antiochenorum basilica concha dicitur, puto ab arcuationis genere. Haec concha, sub Valente principe, cum Caesarium sublatum esset et forum Valentis eius loco extructum, integra mansit, atque ex eo inde tempore haec Caesarii pars pro basilica erat [3]. In hac concha, ut videtur, Romae deae (*Τύχης Ῥώμης*) statua aerea erat [4]; Caesaris autem conditoris signum extra concham in Exaero illo quod dixi [5]. Simile fuisse puto Caesarium, quod Alexandriae fuisse traditur, et illud magnum, ni fallor, aedificium [6]: quanquam in Italiae municipiis

---

338. (13.) De templo Martis v. diss. I. §. 27. n. 4., ubi id delubrum coniunctum fuisse cum Dianae aede, demonstratum est.

2) Malalas p. 287. (122. V.) *Ἐξάερον* esse locum sub divo, atrium, ostendit Ducangius Gloss. med. et inf. Graec. v. *ἐξάερον*.

3) Malalas p. 338. 339. (13. V.): *λύσας τὴν βασιλικὴν τὴν λεγομένην πρώην τὸ Καισάριον — καὶ τὴν κόγχην ἀνανεώσας αὐτῆς ... καὶ στήλην δὲ μαρμαρίνην ἐν τῷ Σενάτῳ τῆς Κόγχης* (i. e. ut videtur, in ea conchae parte, in qua senatores Antiocheni considebant) *καὶ ἐν τῷ μέσῳ τῆς ἐν τῇ Κόγχῃ βασιλικῆς ἄλλην στήλην διὰ τιμίου λίθου ἀνέθηκε καθεζομένην τῷ αὐτῷ θειοτάτῳ βασιλεῖ Βαλεντινιανῷ.* Chronicon Pasch. p. 528. B. (284. ed. Par.) Constantinum Byzantii scribit condidisse *βασιλικὴν ἔχουσαν κόγχην, καὶ ἔξω μεγάλους κίονας* erexisse *καὶ ἀνδριάντας, ἥνπερ ἐκάλεσεν Σενᾶτον, καλέσας τὸν τόπον Αὐγουσταῖον.* Quae minus plena leguntur ap. Malalam p. 321. (5. V.) In Christianis templis concha pars est hemicyclios, tecta hemisphaerio, eadem ferme, quam nunc Chorum dicunt. V. Ducangius v. *κόγχη* et maxime in descriptione aedis S. Sophiae §. 50. p. 109. ed. Bonn. (post Pauli Silentiarii carmen). In titulo Aeresiorum Syriae apud I. V. Francke Inscr. Richter. p. 469. *Τυχαία*, i. e. Fortunae publicae statua, *σὺν τῇ κόγχῃ*, i. e. cum hemicyclio, in quo erat, auro ornatur.

4) Malalas p. 216. (91.)

5) Malalas p. 287. (122.)

6) Strabo XVII. p. 795.

Digitized by Google

Caesareum idem structurae genus, quod Caesarum aedis dicitur, Caesarum statuis protomisve ponendis destinatum, fuisse non negaverim [7]).

Caetera Caesaris opera in eo monte erant, qui Antiochiae acropolin sustinebat. Erat ibi lavacrum publicum, in quod Caesar aquam ex fontibus Laodicenae viae deduxerat [8]). Hoc igitur aquaeductu mons Casius superabatur, in quo fontes illos fuisse necesse; itaque veri non dissimile videtur, aquaeductum illum, quo etiamnunc partim montem perfossum, partim abrupta convallium inter se iuncta esse testantur, qui nuper eas terras videre [9]), huius Caesarei operis esse reliquias. Eadem in acropoli, quam Caesar exornandam sibi sumpsisse videtur, tum extructum est amphitheatrum [10]), primum ut videtur, quo Antiochia aucta est, cum sub Regibus gladiatores nonnisi raro spectatos esse credibile sit. Hoc amphitheatrum postea Valens in venationem mutavit, destruxit Theodosius [11]).

3. Idem, qui Caesaris, Octaviani favor erat in Antiochenos, eademque eius gratia apud illos. Antonii *) ad Actium devicti nuntium cum

7) De hoc Caesarei significatu dixit, illum non tetigit, Marinius *Atti dei fratelli Arvali* T. II. p. 383 sqq.

8) Malalas p. 217. (91. V.) 346 sq. (16. V.) Theodosius hunc aquaeductum cum amphitheatro Caesaris diruit, ut inde murum novum strueret. V. §. 20.

9) V. maxime Pococke p. 191. Kinneir p. 172. Eundem ductum tangere videtur Libanius, ubi de aquis scribit partim per montem excavatum, partim per pontes substructos in urbem deductis p. 353. De theatro a Caesare structo v. diss. I. §. 28.

10) Malalas p. 217. (91. V.) Hocne est τὸ πρόμηκες θέατρον, quod a plethrio (de quo infra §. 12.) non multum afuisse dicit Libanius p. 273.? — Prope erat Veneris templum (Malalas p. 263. 112. V.), quod ab ipso Iulio conditum esse, probabile.

11) Malalas p. 339. (13. V.) 346. (16. V.) cf. p. 263. (112. V.). Valens τὸ μονομαχεῖον in κυνήγιον mutasse dicitur additis duabus σφενδοναῖς, easque arcubus instruxisse et sedilibus replevisse. Malal. p. 339. (V. 13. C.) De σφενδονῇ in stadio v. diss. I. §. 24., in Circo Malalas p. 340. (13.) et Ducangius in Lex. med. et inf. Graec. h. v. et in Constantin. Christ. II, 1, 9. p. 85. Ven., qui et ipse σφενδονὴν circinationem carceribus oppositam fuisse affirmat: sed inde nondum liquere fateor, qua ratione ea amphitheatro conveniat.

*) Antonius, quo tempore orientis provincias regendas suscepit (a. 714 ab u. c.),

Digitized by Google

accepissent Antiocheni, ab illo statim deficientes, eadem levitate, qua antea a Pompeio desciverant, Octaviani in partes concesserunt [1]); quo factum ut etiam ab Actiaca pugna annos computandi mos apud eos introduceretur, quem quidem non ultra primos Tiberii principis annos observari videmus. Ipse Caesar Octavianus, cum proximo anno Asiae Syriaeque circuitu Aegyptum peteret [2]), Antiochiam ingressus est et in ea urbe cum Agrippa triumphavit. Tum Agrippa maxime Antiochiae situ delectatus esse et lavacrum extra urbem ad montem [3]), ex quo adiunctis pluribus aedificiis Agrippinensis vicus crevisse videtur [4]), condidisse, idemque, cum Antiochiam iterum viseret, Circum veterem, a Qu. Marciano extructum, instaurasse ludosque in eo spectasse traditur [5]). Praeter Agrippam ex amicis Augusti etiam Herodes, Iudaeorum rex, Antiochiam ornavit via publica extra urbem in longitudinem XX stadiorum candido politoque marmore strata, ac porticu eodem spatio perducta [6]). Quo opere de civibus Antiochiae eo melius meruit, quod antea ea loca paludosa fuerant, et torrentibus simul arcendis ea structura provisum est. Crediderim, ab orientali urbis porta, in quam splendida illa platea, quam ab Epiphane structam

Parthi Labieno duce cum Pacoro Orodis filio Antiochiam et omnem fere Syriam obtinuerant, sed mox Ventidii armis pulsi sunt: quo Viscontius tetradrachma Parthorum Olympio Iove insignita refert, *Iconogr. Grecque* T. III. p. 82. Sed v. Tychsen de num. vet. Persar. comm. IV. in Comment. Soc. Gotting. recent. T. III. cl. hist. p. 73 sqq.

1) V. Norisius Ann. Syrom. diss. III. c. 7. p. 250 sq.

2) Sueton. Octavian. 17.

3) Malal. p. 222. (94. V.) Postea Ampelinon dictum est.

4) Malal. p. 222. (94. V.) de ipso Agrippa: *κτίζει δὲ καὶ δίαιταν οἰκημάτων καὶ βυνιάριν* (*βαλνιάριν* corrigit L. Dindorf.) *καλέσας τὴν γειτνίαν Ἀγριππιτῶν.*

5) Malalas p. 225. V. diss. I, 25. De Theatro aucto ab Agrippa diss. I, 28.

6) Haec Iosephus de B. I. I, 21, 11. Malalas p. 223. Quod autem Iosephus Antiqq. Iud. XVI, 5, 3. eam plateam, quae Antiochiam mediam secet, porticibus utrinque et, ubi sub divo est, polito saxo ornatam esse ab Herode affirmat: non possum non errori tribuere. Loquitur de eo opere etiam Moses Chorenensis II, 24. p. 125. Whiston, Iosephum secutus, ut videtur.

Digitized by Google

scripsimus, incidebat, orientem versus, ad Orontem et lacum hanc viam fuisse directam [7].

4. Tiberius, qui princeps Romae nulla opera magnifica fecit [1]), si chronographo Antiocheno incorrupta fides esset, Antiochiae tamen splendori omnium hominum maximum adiecisse augmentum statuendus esset, structis illis porticibus, quae magnam urbis plateam utrinque cingebant: sed errare illum scriptorem, neque quidquam tum factum esse, nisi ut reficerentur Epiphanis regis opera, supra (diss. I, 22. 23.) iam probabile visum est. Etiam hoc Malalas erravit, quod Tiberium principem post expeditionem contra Persas (qui Parthi dicendi erant) Antiochiam venisse et porticus illas struxisse novumque murum addidisse scribit [2]), nam Tiberium principem constat nullum exercitum duxisse. Sed poterat Antiochiam adire, cum post prima stipendia ad regnum Armeniae Tigrani restituendum in Orientem exercitum duxisset [3]), Augusto etiamtum vivo neque annis gravato (anno 20 a. Chr.), nisi forte post magnum incendium, quod anno Antiochenorum LXXII, p. Chr. 23, cum Tiberius nonum annum regnaret, fori maiorem partem, curiam et Musarum templum, in superiore omnia urbe sita, vastavit, etiam porticus illas instauratas esse verisimilius videatur. An dicemus haec omnia a Germanico acta, cum hic Antiochiae bellum in Parthos pararet; certe hoc erroris genus non abhorreret a more huius chronographi, quem Vespasiano tribuere, quae a Tito illius auspiciis facta sunt, mox videbimus. Haec cum neque affirmare neque refellere in animo sit: hoc tamen tanquam indubitatum tenebimus, Tiberium de his urbis partibus egregie meruisse. Documento erat statua aerea in umbilico porticuum, de quo supra dicebatur, in magna columna Thebano, i. e. pyrrhopoecilo saxo, excisa (cuiusmodi columnam Romae Antonino Pio erectam

---

7) De Sosibii testamento, quo Antiochia tum ditata est, sub Commodi nomine dicemus.

1) Sueton. Tiber. 47.

2) Malalas p. 232. (98.)

3) Sueton. Tiber. 9. cf. 11. Tum Tiberium Antiochiam ornasse eo verisimilius, quod quae de Herode §. 3. narravimus, in idem tempus incidere necesse est, quo Tiberius Augusti eiusque amicorum gratiam maxime ambiebat.

Digitized by Google

esse constat) Tiberio Caesari a senatu et plebe Antiochenorum collocata et usque ad Malalae tempora superstes [4]). Tiberium ab Antiochenis etiam Olympii Iovis specie, qualem Phidias posuerat et Antiochus Epiphanes Daphnae effingi curaverat, cultum esse, numi Antiochiae urbis ostendunt [5]): ab his vilissima ea adulationis species ad alios populos manasse videtur, qui Tiberium eiusdem dei ornamentis instruxerunt. Mirum est, quot quantasque res in Tiberio cumulaverit adulatio Antiochenorum: a quo et ipsum Orontem eo nomine, quo multis ante ipsum annis dicebatur, appellatum esse ferebant [5*]).

Etiam caetera opera, quibus Antiochia tum ornabatur, intelligitur omnia fuisse in Epiphania, monti quam fluvio propiora. De Capitolio et theatro aliis locis iam diximus. Huic vicinum [6]), certe ad montem, erat delubrum Bacchi, a Tiberio structum (nisi Malalas erravit), cuius ante aedem colosseae statuae erigebantur Dioscurorum Thebanorum, id est Amphionis et Zethi [7]). Horum heroum signa cur ante Bacchi aedem posita fuerint, non intelligitur, nisi sumitur, supplicium propter illorum matrem Antiopen vexatam a Dirce sumptum, coniunctum illud cum Bacchanalibus, his signis fuisse expressum. Sic verisimile fit, magni illius operis, quod Taurum Farnesianum vocant, ab Apollonio et Taurisco Trallianis artificibus facti imitamentum aliquod etiam Antiochiae positum fuisse: siquidem eo opere Dirce exhibita est in Bacchanalibus celebrandis a Zetho et Amphione oppressa. Qua autem urbs orientem spectabat, atque porticus

---

4) Malalas p. 233. Sub hoc signo idem refert telesma ab Ablaccone mago factum conditum esse, quo Parmenii et ceterorum torrentium aquae arcerentur a porticibus.

5) teste Mionnetio, *Descript. des Méd.* T. V. p. 170. n. 197. *Suppl. T. VIII. pl.* 15, 4.

5*) Malalas p. 234. (99.) Eustath. in Dion. Per. 919.

6) Videntur enim in his rebus Antiocheni Graecos et maxime Athenienses imitati esse, quorum theatrum erat *ἐν Διονύσου*. Erat etiam Panis delubrum supra theatrum Antiochiae. Malal. p. 235. — Libanius orat. *περὶ τῶν δεσμωτῶν* p. 457. memorat *πρὸ τοῦ Διονυσείου στοάν*, ubi iudicia agitabantur. Conf. Gothofred. in eum l.

7) Malalas p. 234. (99.)

Digitized by Google

illae per totam urbem porrectae terminabantur, portam Tiberius extruxisse narratur, in qua lupa Romana cum gemellis lac eius sugentibus ex marmore statuebatur. Sic Antiochenorum sacris et monimentis Romanae potentiae signa miscebantur [8]). Eadem urbis in parte supra narrabatur, fuisse Olympiadem fontem; iuxta quem Tiberius lavacrum extruxit, quod muro Epiphaniae urbis comprehendebatur [9]). Hoc quod ex Malala sumpsi nescio quomodo cum iis componam quae in Simeonis minoris vita narrantur, quem in monte Mirabili, id est versus occidentem ab urbe, vitam degisse scimus. Narratur enim paralyticus ab hoc Simeone sanatus a Monte Mirabili XXII stadia usque ad balneum Tiberinum decurrisse [10]); neque dubium eodem loco fuisse vicum Tiberinum, III a Monte Mirabili millibus passuum dissitum [11]), non magno intervallo ut videtur seiunctum a Daphnaeo delubro. Quam difficultatem non expedio nisi ita, ut Tiberium hoc suburbium condidisse statuam, ibique fuisse lavacrum, diversum ab illo prope ad Olympiadem fontem extructo. His addenda quae propter Germanicum, cum hic a. u. c. DCCLXXII, p. Chr. 19., Antiochiae tristissimam mortem obiisset, ibidem extructa sunt. Constat eius corpus in foro Antiochensium crematum et sepulcro conditum esse [12]), et tribunal ei Epidaphnae, quo loco vitam finierat, erectum esse [13]). Hoc autem tribunal quale monimentum fuerit, nemo dum explicuit, cum apud Romanos nusquam id nomen funebri monimento adhibeatur. Sed videor mihi intel-

---

8) Malalas p. 235., qui ea omnia Domnino chronographo accepta refert. Idem postea signum Traianus posuit in media porta (*μέσῃ πύλῃ*), quae prope templum Martis s. Macellum, ubi Parmenio ex monte defluebat, sita erat (Malal. p. 275.): scilicet post Iustiniani tempora, nam cum urbs hac parte latius pateret, v. §. 24., etiam porta illa a Macello Martisve templo longius afuerit necesse est.

9) Malal. p. 234.

10) Nicephorus, Magister Antiochiae, in V. Simeonis iun. in Act. Sanct. Mai. V. p. 345. cf. 389.

11) Vita Simeonis iun. e ms. Florent., Act. Sanct. Mai. V. p. 412. 413. Nescio an eodem pertinuerit *Τιβερίνη χώρα, ἡ ὑπὸ τῇ γείτονι Σελευκείᾳ κειμένη* (ubi locus Pila erat) memorata a Nicephoro in V. Simeonis iun. p. 311.

12) Tacit. Ann. II, 73. 83.

13) Tacit. Ann. II, 83.

Digitized by Google

ligere, quid Tacitus tribunal dicat, adhibito monimento Philopappi Epiphanis, qui a Commagenes regulis oriundus, cum in civitatem Atheniensium transiisset, et Athenis mortuus esset, eo structurae genere in colle Museo extructo honoratus est [14]). In hoc aedificio media est statua Philopappi sedens in cellula quadam rotundata, cui adiunctae erant aliae cellulae atque parastatae, in quibus alia maiorum et cognatorum Syri illius signa posita erant. Hoc monimentum nescio quo nomine aptius dici potuerit quam tribunalis, cum omnia ita instructa et apparata sint, ut signum aliquod supra suggestum sedens tutum a caelo et tempestate et conspicuum simul esset; cuiusmodi tribunalia Antiochiae iam superioribus temporibus extructa esse facile crediderim.

5. Sub Gaio et Claudio principibus Antiochiam duobus terrae motibus vastatam esse, supra narravimus. Uterque in reficiendis, quae diruta erant, sumptui non pepercisse narratur; Gaius etiam missis duobus senatoribus [1]), qui praesentes malis urbis mederentur: quorum alter Varium lavacrum condidit muro fluvium praetexenti vicinum [2]). Ab hoc diversum est lavacrum ab eodem principe curante Saliano praefecto, ut narratur, extructum, quod prope ad montem arcis erat, in quo Caesaris monimenta sita erant. Huc aqua deducta est inde a Daphne perfosso monte, qui inter Iopolin antiquam et suburbium illud obiectus erat [3]). Terrae autem motibus plebs Antiochena, ut erat superstitiosissima, non efficacius opinabatur remedium inveniri posse, quam telesmata et magicas praestigias. Itaque post hunc sub Gaio terrae motum Debborius quidam thaumaturgus (Domninus philosophum dixit) in media urbe columnam posuit purpuream et supra eam dimidium hominis simulacrum (στηθάριν Byzantii, nos *bustum* dicimus) marmore sculptum, cui inscripsit Ἄσειστα

14) Diligentissime de eo egit Boeckhius Corp. Inscr. T. I. p. 432. n. 362.

1) Οὐάριον et Πόντιον (sic) Malalas dicit p. 244. (103.) Eorum domus post fisco attributas (τετλωθῆναι) narrat p. 245., quod seditionem circensem et Iudaeorum incursionem non cohibuerint. In qua re multa sunt incredibilia; certe Iosephus nihil scribit de expeditione illa Iudaica.

2) Malalas p. 244. De Triumpho v. supra diss. I, 22. ann. 19.

3) Malalas p. 243. (183.)

Digitized by Google

ἄπτωτα [4]). Sed terrae motus qui sequebantur, ipsum hoc simulacrum deiecerunt. Neque Apollonius Tyanensis, cum Domitiano regnante rogaretur, ut Debborii telesma restitueret, exorari poterat, quod praevidebat, bis vel saepius Antiochiam idem esse passuram: quanquam idem aliis Antiochensium precibus ita annuit, ut Aquilonem ventum, scorpios, imo omnes culices telesmatis factis et ridicula quadam caeremonia cum equestri certamine Grastensi coniuncta ab ea civitate depelleret [5]).

6. Nunc dicendum de temporibus Flaviorum principum, quorum in Antiochenses favor simul cum potentia eorum creverat [1]). Nam praeter legiones duo illa Orientis capita, Antiochia et Alexandria, plurimum ad Vespasiani fortunam evehendam contulerant. Quo factum, ut Iudaeae gentis eversione Antiochiae splendor etiam magis augeretur, quam Romae: quanquam non ea facilitate Antiochensibus obsecutus est Titus, cum Hierosolymis expugnatis Antiochiam intrasset [2]), ut Iudaeos, quorum tum in ea urbe ingens multitudo, et magna erat invidia, aucta per incendium [3]), cuius illi rei insimulabantur, inde exturbaret [4]). Quae Titi constantia haud dubie etiam Christianis salutaris fuit, quorum nomen quanquam Antiochiae primum celebratum est [5]), dubitari tamen non potest, quin a

---

4) Malalas p. 265. (112. 113.)

5) Malalas p. 264. (112.) Cedrenus p. 246. ed. Par. De Aquilonis flatibus cf. diss. I. §. 3.

1) Vaillant Num. aerea Imp. in coloniis percussa T. I. p. 197.

2) Titus expugnatis Hierosolymis (a. d. IV Non. Septembres anni a. u. c. DCCCXXIII p. Chr. 70.) Domitiani natales (a. d. IX Kal. Novembres) Caesareae, patris natales (a. d. XV Kal. Decembres) Beryti celebraverat (Ioseph. B. I. VII, 3, 1.). Postea Antiochiam se contulerat atque cum ad Zeugma movisset, illuc redierat. Tum illa acta, quae supra narrantur.

3) Cremata erant forum quadratum, archiva et grammatophylacium (in quo etiam aeris alieni a privatis hominibus contracti syngraphae erant) et basilicae. Ioseph. B. I. VII, 3, 4. De foro supra dictum diss. I, 26. ann. 4.

4) Ioseph. B. I. VII, 3, 2. 3. 4. VII, 5, 2.

5) Apostol. Acta 11, 26. Malalas p. 242. Petrum cum Barnaba (at Paulus, non Petrus, cum Barnaba eo venerat) in via ad Pantheum, quae vocabatur τῶν Σίγγωνος, verba fecisse narrat.

Digitized by Google

plerisque etiam tum Iudaeorum pars et secta habiti sint, ne exceptis quidem iis, qui ab idololatria ad Christianam fidem transgressi erant [6]). Sed traditur Titus [7]) alatas illas figuras, quibus Hierosolymorum templi penetrale obumbrabatur, quas Cherubim vocant, inde translatas ad Antiochiae portam erexisse [8]). Certe multo posterioribus temporibus porta supererat, quae a signis illis cognominabatur [9]). Erat ea in exitu magnae plateae porticibus illis ornatae [10]), ut puto, occidentem versus, qua Laodiceam et ad oppida in litore Palaestinae sita tendebatur; hanc enim per portam Titus Antiochiam intrasse videtur. Idem Lunae signum taurorum quadriga vectae [11]) in columna erexisse traditur, quod Lunae luce iuvante Hierosolyma ceperit [12]): qua de re a Iosepho nihil relatum invenio, quanquam Hierosolyma circa plenilunii tempus expugnata esse constat. Verumtamen multo probabilius est, Antiochenses in ea re morem a Graecis orientalibus frequentatum secutos esse, quem Nonnus, Aegyptius ἑλληνίζων, in antiquas Cadmi Thebas transtulit (ubi portam occidentalem Lunae bubus vectae ac nomine Minervae Oncaeae appellatae consecratam esse fingit [13])). Similiter Alexandrini duas portas alteram Soli alteram Lunae de-

6) Apost. Acta 11, 20. cf. 15, 12. ad Galat. 2, 11.

7) Pro Tito Vespasianum appellat Malalas, quippe cuius auspiciis eae res gestae erant.

8) Malalas p. 261. (110.) Chronicon Paschale p. 462. (247 b. P.)

9) Malalas p. 281. (119.) Niceph or. in V. Simeonis iun. Act. Sanct. Mai. T. V. p. 311.

10) Malalas l. l.

11) Taurorum biga Lunam vehentem etiam monumenta nunc extantia non raro ostendunt: sed archaeologi nostrorum temporum Dianam Tauropolon eam dicere malunt quam Lunam: velut Millinus in explicando diptycho, *Monum. ant. inéd.* T. II. p. 341. *Gal. myth.* I. p. 29. *Expl. des planches* 121. (XXXIV.). Cf. anaglyphum servatum in Museo regio Parisiensi, Clarac *Musée de sculpt. pl.* 166. n. 76. (437.) et gemmam scalptam, Tassie *Catalogue* pl. 28, 2039. Cf. Winckelmann. Opp. T. II. p. 525. ed. Dresd. Nullus poëta crebrius Lunam *βοῶν ἐλάτειραν* dicit, quam Nonnus. V. Dionys. I, 331. V, 72. XII, 5. cf. VI, 336. *Ἐπὶ ταύρῳ γεγραμμένη Σελήνη* memoratur ab Achille Tatio I, 4.

12) Malalas p. 261. (110.) Chronicon Pasch. p. 462. (247 c. P.).

13) Nonnus Dionys. V, 69—73.

Digitized by Google

dicaverant; illam in meridiem, hanc in boream conversam [14]). Atque etiam Antiochenis portam fuisse Tauriànam accepimus, ad Orontem i. e. septentrionem versus sitam [14*]), quam ab hac ipsa Luna tauris vecta appellatam esse probabile fit. Etiam theatrum in delubro Daphnaeo extruxit, quo loco antea Iudaeorum synagoge fuerat, tum in contumeliam gentis sublata. Inscriptus illi titulus EX PRAEDA IUDAEA [15]); et positum ibi est Vespasiani signum marmoreum, quod Malalas etiam suo tempore superfuisse scribit.

7. Domitianus Antiochenorum gratiam meruit extructo lavacro publico, quod ad montem situm prope aberat a Caesaris amphitheatro et delubro Veneris, iunctumque erat cum delubro Aesculapii, quod ei deo propter aquarum salubritatem consecratum fuisse opinor. Postea cum Domitiani nomen ubique aboleretur, lavacrum hoc de Medea appellatum est, cuius pulcherrimum inerat signum [1]); idem, puto, quod a Libanio [2]) descriptum est et in Arelatensi signo [3]) ab artifice quodam inferioris aevi imitatione expressum esse videtur: signum mulieris Colchicae iam ensem in filios ex vagina trahentis, sed etiamtum cohibitae et repressae paulisper puellorum precibus proprioque dolore [4]).

---

14) V. Achill. Tatius V, 1. et Malalas p. 280., qui, nescio an non recte, eas portas ab Antonino Pio extructas tradit. Cf. Bonamy de Alexandriae situ in Mem. Acad. Inscr. T. IX. p. 420.

14*) v. §. 19.

15) Malal. p. 261. Chronicon Pasch. p. 462. (p. 247 c. P.)

1) Malalas p. 263. Idem ex Domnino multa narrat de Apollonii telesmatis, ex quibus praecipua supra iam posuimus.

2) Ἔκφρασις Μηδείας p. 1090. R. Huic signum marmoreum non erat dissimile, quod in Macedonia positum Callistratus stat. 13. describit. Illud Medeae signum *ἐν περιφανεῖ χώρῳ τοῦ ἄστεος ἀνακεῖσθαι* dicit. Idem fere significat de Neoptolemo Polyxenam mactante p. 1088.

3) Millin. *Voy. au midi de la France pl.* LXVIII, 2. *Gal. myth. pl.* CII. *n.* 427.

4) Hoc inferiori loco annotare satis habeo, ea quae de Paride pantomimo a Domitiano Antiochiam misso, ut ibi extra urbis moenia habitaret, narrantur, nullius plane esse fidei, quippe quae nullo documento confirmantur, nisi Paradisi nomine, quo secundum Persarum morem hortus quidam suburbanus ab Antiochenis

Digitized by Google

8. Traiano principe Antiochiam in summa opulentiae et celebritatis luce dira invasit calamitas, cum Romano exercitu et ipso imperatore in expeditione Parthica, multisque ex orientali plaga hominibus, quos vel rerum publicarum cura vel proprii lucri cupido congregaverat, Antiochiae degentibus [1]), magno illo terrae motu, quem superiore tractatu indicavimus, urbs devastaretur. Quod eo magis perniciosum erat, quo latius patebat; nam etiam Casius mons nutasse ferebatur, et Daphne destructa est [2]), et Traianus omnium aedificiorum ruinam vitaturus plures dies in Circo degit, qui in campo extra urbem situs erat. Itaque quae tum struebantur, pleraque vetera erant aedificia restituta Imperatoris munificentia, cui etiam Adrianus, expeditionis socius, aliique Senatores Antiochiae degentes, domibus et lavacris aedificandis auxiliabantur [3]). Sic magnae illae porticus restitutae, sic Daphnaeum Dianae delubrum [4]). Addidit tamen Traianus his operibus lavacrum et aquaeductum, utrumque Ulpium dictum, aquas in eum usum convertens, quae ex fontibus Daphnaeis in lo-

---

dicebatur. V. Malalas p. 263. (111.) Quapropter abstineo a quaestione de Paridis tempore et Iuvenalis exilio hic redintegranda.

1) Malalas p. 271. (115.) sq. ex Domnino narrat, quod alio nullo teste firmari potest, ante Traiani adventum Persas iam tenuisse Antiochiam, sed eos ab ipsis civibus, Traiani per literas excitatis, confossos esse, quo in tumultu urbis partem *ἐπὶ τὴν λεγομένην Συσπινὴν γειτονίαν* conflagrasse. Posthaec Traianum Andynaei s. Ianuarii d. VII. ingressum ac, cum a Daphne veniret, per Daphneticam portam, quae postea aurea dicta est, triumphum egisse.

2) Eustathius ad Dion. Perieg. 916. p. 280. Bernh.: *ταύτην σεισμὸς ἐκάκωσε ἐπὶ τριαίνης* (scribe Τραϊανοῦ), et quae secuntur corrupta, quae facile est emendare collato Malala p. 275. (117.)

3) Malal. p. 278. De Centenario lavacro, quod tum conciderat et sub Marco restitutum est, Malal. p. 282.

4) V. supra diss. I, 17. ann. 1. De theatro tum perfecto diss. II, 6.: de media porta §. 4. ann. 8. Quae Malalas narrat de virgine Calliope ad portam mediam mactata, et *νυμφαγωγίᾳ* ei consecrata, ad Nymphaeum aliquod spectare videntur, extructum prope aedem Calliopes, quae in media urbe fuisse dicitur. V. quae ex Libanio potissimum rettuli in diss. I, 27. ann. 4.

Digitized by Google

cum, qui **Agriae** dicebatur, torrentibus et paludibus ut videtur foedum et informem, effundebatur [5]).

9. **Hadriani** opus, quo Antiochenses donavit, lavacrum erat in vetere urbe [1]) cum aquaeductu; quem aquaeductum facile ex omnibus, qui extra Latium erant, diligentissime descriptum habemus. Quae descriptio [2]), quantum intelligi atque comparatione Vitruvii et Frontini illustrari potest, haec continet. Daphnae aquarum castellum factum est, ex quo fontes collecti per aquaeductum Antiochiam deducerentur. Hoc castellum coniunctum erat cum aedis [3]) specie, quae Nymphis Naiadibus consecrata et magno simulacro aquilam tenente, ut puto Hadriani ipsius, qui tanti operis auctor fuisset, conspicuum erat. Simile monimentum sed multo minus splendidum prope Athenas ad montem, qui vulgo Anchesmus sed rectius Lycabettus dicitur, extabat, ex columnis Ionicis compositum et prostyli aedis non dissimile: quod ex titulo inscripto cognitum est, cum aquae castello et ductu coniunctum fuisse, quem ab Hadriano coeptum, Antoninus Pius consummaverat [4]). Hinc cum aquaeductus per valles confragosas, quae ab locorum natura Agriae appellabantur, deducendus esset, Adrianus eum pilarum obiectu emuniri, et torrentium vim aliorsum deverti curavit. Unum autem eorum fontium, qui in Agriis erant, Palladis appellatum, peculiari ductu Daphnen deduxit in usum suburbanorum ibi colentium. Contra Saramannam fontem per fistulas in idem castellum deduxit, quo aquae ex templo Naiadum influebant. Hoc castellum, quod Antiochiae erat, dicitur Theatrum (*θέατρον, θεατρίδιον* [5]), puto quod cum cisternae modo aquam

---

5) **Malalas** p. 275. cf. p. 278. et quae de Hadriano §. 9. narrabo. Balneum in vetere urbe fuisse, intelligitur ex **Euagrio** II, 12.

1) **Euagrius** II, 12.

2) **Malalas** p. 278. (118).

3) *Τὸν ναὸν τῶν αὐτῶν πηγῶν, ὅθεν ἐξέρχονται τὰ ῥεῖθρα ἐν τῇ αὐτῇ Δάφνῃ* dicit **Malalas** p. 278.

4) V. **Stuart**. *Antiq. of Athens* V. III. cap. IV.

5) *ἔκτισε ἐν Ἀντιοχείᾳ.. καὶ ... λουτρὸν καὶ ἀγωγὸν ... καὶ τὸ θέατρον τῶν πηγῶν Δάφνης αὐτὸς ἐποίησε*, et infra: *ἐποίησε.. ἐκχεῖσθαι εἰς αὐτὸν τὸν τῆς πηγῆς* (Saramannae) *ὁλκὸν ἐν τῷ θεατριδίῳ τὸ ἐκ τοῦ ναοῦ ἐξιὸν ὕδωρ.*

limpidam et frigidam servaret, gradibus undique circumdatum erat, in quibus homines otiosi et quales sunt in orientalibus maxime plagis aquarum murmuris et frigoris amantissimi, assidere poterant. Hoc si verum est, haud dissimile fuisse videtur hoc aquarum receptaculum cisternis, quibus postea Constantinopolis et Orientis oppida instruebantur, vasti ambitus et multa columnatione insigne, qua tectum tholi instar suspendebatur [6]). Nec Nymphaeis dissimile habuerim, quae aliis locis cum aquaeductibus coniuncta fuisse accepimus [6*]). Quod Malalas narrat de quinque meatibus aquae in hoc theatrum confluentibus, qui pentamodion, tetramodion, trimodion, dimodion et modion appellabantur, non intelligo, nisi de canalibus diversi moduli haec scripta sunt, quibus modo apertis modo clausis aqua ita temperari poterat, ut in theatro nunquam aut deficeret aut iustos fines superaret. Absoluto toto opere Hadrianus Nymphis sacra solennia fecit, Daesii sive Iunii mensis die XXIII.; nam annus non traditur. — Miror a Malala aliud aedificium non commemorari, quo Antiochiam ab Adriano ornatam esse apud Suidam legitur: divi Traiani aedem, quam cum Adrianus extruxisset, postea Iulianus bibliothecam fecit, Iovianus autem combussisse arguitur [7]). — Quibus operibus quanquam Antiochiam splendide excoluit, Antiochenos tamen ei non magis acceptos fuisse compertum habemus, quam plebem Alexandrinam [8]).

10. Antoninus Pius, quo opere de Antiochia meruerit, supra Diss. I. §. 22. narravimus. Marcus Imperator eo, puto, tempore, quo Antiochenis

---

6) Cf. Hirtii Architect. Histor. T. III. p. 401.

6*) De tali Nymphaeo Socrates Hist. Eccl. IV, 8. Cassiodor. Hist. Eccles. VI, 21.: *Cum enim aquaeductus in civitatem* (Constantinopolin, sub Valente) *fuisset inductus: Praefectus Urbis tunc Clearchus Nymphaeum maximum aedificavit in platea quae Theodosii nunc vocatur, ubi aquae affluentia est emissa: in quo maximam festivitatem civitas habuit.*

7) V. Suidas v. Ἰοβιανός. Qui quae narrat, de Ioviani moribus, de bibliotheca illa a pellicibus imperatoris incensa, et alia ad eundem modum, Antiochenorum magis dicteria et rumores quam rerum memoriam referre videntur. Bibliotheca illa Theophili Eunuchi fuisse dicitur.

8) Spartian. Hadrian. c. 14.

Digitized by Google

post Cassianum tumultum ignoverat [1]), praeter lavacrum Centenarium, quod sub Traiano terrae motu conciderat, refectum Museum et Nymphaeum cum illo coniunctum, quod Oceanum dicebatur, extruxit [1*]). Id nomen ei inditum est, ex quo Probus Imperator, in hoc Nymphaeo, quod semicirculi forma erat (σιγματοειδές), musivo opere Oceanum describi curaverat [2]). Quemadmodum Oceanus expressus sit, nunc clarissime perspicitur ex eo opere vermiculato, quod nuper in vico VII leucis a Tolosa dissito inventum olim aedificio Romano, quod Thermas fuisse putant, ornamento fuit. Medium in eo est caput Oceani, cui multae adiectae sunt deorum marinorum, Tritonum Nereidumque figurae, Graecis nominibus adscriptis [3]).

11. Commodi tempore novus splendor Antiochiae accessit Olympici ludicri celebratione. Ad quod quae pertinent, hoc loco complecti visum est [1]). Augusti tempore Sosibius, senator Antiochenus, cum patria relicta Romam se contulisset ibique diem obiret, per testamentum bona sua, quorum annuus reditus XV talentorum auri fuisse dicitur, Antiochiae donavit, ea lege ut sibi quinto quoque anno per XXX dies Hyperberetaei sive Octobris mensis ludi fierent commissis poetarum recitationibus, thymelicis sive musicis, et scenicis certaminibus, omnisque generis athletis atque equestri cursu [2]). Sub Claudii principatu anno Antiocheno LXXXXII Antiocheni se narrabant a Pisaeis, id est Olympiae in Peloponneso accolis, Olympiorum solennium per nonaginta annorum perihodos celebrandorum ius redemisse, impensa parte bonorum a Sosibio legata [3]). Qua emptione,

1) v. Capitolin. Anton. 26. Vulcat. Cass. 9.

1*) Malalas p. 282. (120). Cf. Plin. N. H. XXXVI. 21, 42. §. 154. Hoc Museum ab illo differre videtur, quod I, 26. memorabatur. Cf. infra §. 16.

2) Malalas p. 302. (129). Sigma etiam in theatro dici orchestram, satis compertum est.

3) V. Io. de Witte in *Bullet. dell' Instit. di corr. archeol.* a. 1834. p. 157.

1) Ex nostratibus haec Olympia nuper tractarunt G. Rathgeber in Encycl. Halensi v. *Olympische Spiele* p. 325. et I. H. Krause in libro de Olympiis p. 207. Sed vellem hic V. D. diligentius in ea inquisivisset: poterat inde etiam quaedam illustrare, quae in Eleorum Olympiis observantur.

2) V. Malalas p. 224 sq. (95.) et p. 248. (105.), ubi Pausania teste utitur.

3) V. Malalas p. 248. (105.) et 284. (101.) sqq.

Digitized by Google

cuius nullae extabant literae (scilicet ἀγράφῳ πάκτῳ dicuntur Antiocheni cum Pisaeis haec sancivisse) nihil sibi volebant, nisi ut augustiore nomine ludi illi ab Sosibio instituti celebrarentur, nam neque ex eo tempore Olympia in Peloponneso intermissa esse accepimus, neque statim tempus Antiochenorum ludorum in eum mensem translatum est, quo Olympia, quae vere Olympia erant, celebrari debebant, id est in Panemum sive Iulium mensem. Sed Commodi edicto cum hi ludi restituti et Sosibii bona ne in alios usus dispergerentur cautum esset: aliud iis tempus assignatum est idque a Peloponnesiorum Olympiis sumptum, quinque et quadraginta dies continui Panemi sive Iulii et Loi sive Augusti mensis [4]). Ab hoc initio, quod Commodo principe factum esse constat [5]), Olympiades Antiochenae celebratae sunt usque ad annum Antiochenum DLXVIII, indict. XIV. p. Chr. 520, tertium quo Iustinus imperabat [6]). Primo autem ludicro praefuit Artabanus (sive Artabanius), Syriarchae sacerdotio sive magistratu ab optimatibus et populo Antiochenorum ornatus; Alytarcha erat Aphronius expraefectus, Scriba Pompeianus Quaestor, Amphithales Casius Illustrius, qui cultu et vestitu deos Iovem, Apollinem, Mercurium aliquatenus imitabantur [7]).

---

4) Malalas p. 284. (121).

5) Malalas p. 286. (122.) annum constituit Antiochenorum CCLX., p. Chr. 212., qua in re ad minimum viginti annorum metachronismum factum esse iam observatum est. Cf. Norisius dissert. III, 6. p. 229. c. 7. p. 258. Chilmeadus in annot. crit. p. 286. Infra idem Malalas p. 417. (49.) LXXVII. Alytarchas fuisse dicit usque ad annum aerae Antioch. DLXVIII: quod cum illa computatione congruit, sed etiam ni fallor erroris originem aperit. Nempe quinquies vel sexies vel septies Olympia intermissa et nulli Alytarchae constituti sunt. Non multo autem tempore ante Commodi necem (a. 192.) Olympia denuo celebrari coepta, idcirco crediderim, quod Plethrion, utilissimum aedificium, non Commodo, sed Didio Iuliano sumptus largiente conditum est. V. §. 12.

6) Malalas p. 417. (49). Norisius diss. III. c. 6. p. 229. Corsini Dissert. Agon. I, 11. p. 19. IV, 11. p. 98. Libanio teste discitur, Olympia celebrata esse annis 328. 332. 336. 364. 372. 384. (v. Vitam Libanii apud Reiskium n. 5. 8. etc.). Id cum ultimo Olympiadum anno exacte convenit.

7) Domninus apud Malalam p. 286. 287. (122.) cf. p. 289. De Artabani largitione narrat etiam Chron. Paschale p. 490. Bonn. (262.) ad ann. p. Chr. 181.

Digitized by Google

Quae munera et officia, ut multa, ab Olympiae institutis mutuati erant Antiocheni. De Alytarchis res nota, scriba s. γραμματεῖ in omni publico negotio opus erat; Amphithales autem significat puerum patrimum et matrimum: cuiusmodi puerum constat Olympiae sacri oleastri in Pantheo sedecim ramos, ex quibus coronae certaminum fierent, aureo cultro amputasse [8]). Quod autem his ludorum praefectis ipsa deorum nomina indita esse feruntur, huius moris nescio an origo ex antiquis Asiae religionibus repetenda sit: certe etiam alia eiusdem indicia per Asiam minorem sparsa colligere licebit [9]). Alytarchae munus eximio quodam iure ornatum [10]) erat, et tanto in honore habebatur, ut ipsi imperatores, Diocletianus et Maximianus, eo fungerentur [11]). In Eleorum Olympiis rarius memoratur: sed videtur tamen et in his satis splendidum fuisse, cum unus esset Alytarches, Hellanodicae multi, et totius certaminis εὐκοσμία illius imperio contineretur [12]). Ipsa certamina, quae sub Commodo instituebantur, erant et equestria, et gymnica, et musica; in musicis et gymnicis

---

8) Schol. Pind. Ol. III, 60. Delphis hic ἀμφιθαλὴς παῖς Apollinis imago erat; in Olympiis nil vetat, quominus cum Mercurio eum comparemus.

9) Velut quod in numis Bithynorum regum (Visconti Icongr. Grecque pl. 43. n. 3. 4. 6. 7. 8.) vir Iovis specie, sed cothurnis calceatus coronamque protendens conspicitur, id videor mihi rectius ad alytarchae ornatum quam ad ipsum Iovem referre. Calceos, quos cothurnos dixi, in Alytarcha Antiocheno σανδάλια ἄσπρα appellat Malalas: non alia puto phaecasia, quae sacerdotes et Alexandrinos et Atticos et gymnasiarchos gestasse constat. V. Appian. de B. C. V, 11. Plutarch. Anton. 30. A Iuvenale autem, III, 218., phaecasia existimo aliena.

10) Alytarchae licebat cupressum ex luco Daphnensi excidere, plures plantare (Cod. Theodos. X. tit. 1, 12. cf. Gothofr. T. III. p. 419.), quod abrogatum est ab Impp. Theodosio et Valentiniano (Cod. Iustin. XI. tit. 77, 2.) — Libanius cum in orat. pro rhetoribus p. 222. unum e senatoribus τὸν θήσοντα τὰ Ὀλύμπια appellat, Alytarcham videtur significare.

11) Malalas p. 310. 311. Leo Imp. anno p. C. 465. curialibus Alytarchiae et Syriarchiae munus eripuit, eaque ad Comitem Orientis et Rectorem Syriae rettulit. Iustinian. Cod. I, 36.

12) Lucian Hermotim. 40. Etymol. M. v. ἀλυτάρχης.

Digitized by Google

etiam mulieres inter se commissas esse, morum Antiochenorum indicium est [13]).

12. Postulat autem instituti nostri ratio imprimis, ut quam fieri potest diligentissime aedificia his solennibus celebrandis destinata describamus. Ea erant cum in ipsa urbe, tum ad Daphnaeum delubrum. In urbe Commodi sub imperio extructus est Xystus, id est hypaethros ambulatio [1]), circumdatus porticibus et sedilibus. Hic Xystus medius erat inter lavacrum Commodium (quod postea praetorium consularis Syriae factum est [2])) atque Minervae aedem eodem tempore instauratam; ad inferiorem autem eius partem, id est qua versus Orontem vergebat, delubrum Iovi Olympio extructum est [3]). Accessit his aedificiis Plethrion ex pecunia data a Didio Iuliano [4]): etiam hoc factum ad exemplar Olympiorum in Peloponneso. Nam cum gymnasio, quod Eleorum in urbe erat, in quo athletae Olympiae certaturi exercebantur, coniunctus erat et Xystus, locus sub divo muro inclusus et platanis consitus, et Plethrion, id est aedificium centenos pedes longum latumque, in quo Hellanodicae viros puerosque ad luctandum secundum aetatem componebant [5]). Plethrion autem, quod Antiochiae erat, in eum finem extructum esse narratur a Libanio et Malala, ut luctatores ibi exercerentur: nempe ii, qui in Olympiis de victoria decertaturi essent. Antea eo loco Asabini Iudaei domus fuerat, quae tum in Plethrion conversa est, prope Xystum et Commodi lavacrum

13) *παρθένοι κόραι . . παλαίουσαι μετὰ βομβωναρίων*, p. 288. (123.), i. e. cum subligaribus circa pubem (*βουβῶνας*, unde factum *βομβῶνας*).

1) Nam a Malala hoc vocabulum credibile est eo sensu adhiberi, quo Latini eo utebantur, ut hypaethron ambulationem significaret, cum antiquioribus Graecis xystus porticus stadiata esset.

2) Malalas p. 338 sq. (13.)

3) Malalas p. 283. (121.) Horum aedificiorum situm in tabula adiecta adumbrare conatus sum.

4) Malalas p. 290.

5) V. Pausan. VI, 23, 2. De eodem Plethrio Eleo Lucian. de morte Peregr. 31. cf. 3. Simile aedificium erat Hippodamium Olympiae, quod plethri spatium complectebatur, Pausan. VI, 20, 4. cf. V, 22, 2.

Digitized by Google

et Caesaris basilicam, de qua supra §. 2. dictum est [6]). Ab initio, praeter athletas, qui ibi luctabantur, paucos continere poterat spectatores; postea, Libanii aetate, ab Argyrio et Phasganio, Libanii avunculis, Olympiorum ludorum praesidibus, Plethrii spatium bis duplicatum est [7]), ita ut theatri quadrati speciem haberet [8]), atque etiam in maius auctum a Proclo, comite Orientis, qua de re, cum multa turba immissa omnis horum ludorum dignitas corrumperetur, Libanius singulari oratione habita acerbissime et ita ut inimici animi invidiam vix dissimularet, conquestus est [9]).

Haec quae Antiochiae in urbe extructa diximus, omnia apparet non ad ipsos ludos celebrandos, sed ad praeparanda certamina atque exercendos agonistas spectare, ac cum iis comparanda esse, quae Elei in ipsorum urbe, non Olympiae, extrui curaverant, aedificiis [10]). At enimvero ipsa Olympia non Antiochiae, sed Daphnae acta esse, dubitari nequit [11]). Quippe

---

6) Malalas p. 290. et p. 339.

7) Libanius *περὶ τοῦ πλέθρου* p. 264. 265.

8) *τὸ θέατρον, ᾧ πλευραὶ μὲν τέτταρες, τὸ δ' ἐν μέσῳ πλέθρον, δέχεται τὸ μετὰ μεσημβρίαν ἔργον τῶν ἡκόντων ἀθλητῶν ἐπὶ τὰ Ὀλύμπια,* dicit Liban. p. 261. Τὸ *μετὰ μεσημβρίαν ἔργον* dicit luctam: ita constat etiam in Eleorum gymnasio *τὰ βαρέα ἀγωνίσματα* pomeridiano tempore acta esse. V. Pausan. VI, 24, 1.

9) V. maxime p. 267. Libanius hoc aedificium semper *πλέθρον* dicit: quod ne corrigatur, caveri potest comparato titulo Siculo, in quo legitur *οἰκοδομήσας πέλεθρον*, apud Gruterum p. CLXXIII, 9. et R. Rochettium Epist. ad Schorn. p. 67. Malalas Byzantiorum more *πλεθρίν* dicit.

10) Haec exercitia per XXX dies continuata esse docet Io. Chrysostomus in actorum princ. I. T. III. p. 59. Montf., cuius verba haec sunt: *καὶ ἐπὶ τῶν Ὀλυμπιακῶν ἀγώνων τὸ αὐτὸ ἔθος κρατεῖ. Μετὰ τὰς τριάκοντα ἡμέρας τὰς ἐνταῦθα* (in gymnasio urbis transactas) *ἀναγαγόντες αὐτοὺς εἰς τὸ προάστειον* (intelligit Daphnen) *περιάγουσι καὶ τοῦ θεάτρου καθημένου παντὸς βοᾷ ὁ κῆρυξ· μήτις τούτου κατηγορεῖ; ὥστε αὐτὸν ἀποσκεδασάμενον τῆς δουλείας τὴν ὑποψίαν οὕτως εἰς τοὺς ἀγῶνας ἐμβῆναι.* Hi XXX dies XLV illorum, de quibus supra dictum esse, partem effecisse videntur.

11) V. Liban. Monodia p. 333. R. (*Ὀλύμπια μὲν οὐ μάλα πόῤῥω*), et qui eam irridet Io. Chrysost. de Babyla c. Iul. c. 19. T. II. p. 568. Montf. et Malal.

Digitized by Google

hoc loco Iovis Olympii templum, eique proxime annexum stadium Olympicum fuisse, iam supra (dissert. I. §. 24.) ostendimus. Quanquam Malalas id a Diocletiano demum extructum esse refert, ut ibi victores ludorum Antiochiae celebratorum coronarentur [12]. Sed Malalas, ut saepe facit, aedificium refectum ampliatumve tum primum conditum esse opinatus est. Id tamen verum, quod narrat, victores antea per longum spatium ad Codrigas et Argyrun fluvium Ciliciae vectos esse ut ibi coronarentur. Codrigas enim locum fuisse accepimus in confiniis Ciliciae et Syriae, quibus in angustiis Pescennium Nigrum a Septimio Severo victum esse constat; eodem loco, numi illustri titulo docemur, Tarsenses Severea Olympia solemnia propter victoriam illam celebrasse [12*]; quid apertius, quam quod etiam Antiocheni, qui Nigri studiis Severi sibi concitaverant iram, ut hanc mitigarent, Olympicorum victorum coronationem in eundem locum, Severi victoria illustratum, transtulerunt [12**]. Quod Libanius narrat [13], antiquiori et probo more mulieres omnes ludorum tempore Daphna exulasse, etiam hoc a Peloponnesiorum instituto sumptum est, nisi quod Peloponnesii prisca quadam lege virgines admisisse, arcuisse nuptas traduntur. Daphnae etiam Artabani, primi Syriarchae, signum marmoreum erectum est [14], Commodi autem aerea statua media in urbe [15].

13. Hoc facile tempus erat, ex quo Romani imperatores in Syria dominabantur, quo Antiochia splendidissime exornata, omnique luxus et voluptatum apparatu refertissima erat. Hinc multae illae querimoniae, quae Antoninorum temporibus iisque quae proxime secuntur iactari

---

p. 496. (40.) Libanius Epist. 763. p. 361. Wolf. Iovem Olympium Daphnae in Olympiis celebratum esse ostendit.

12) Malalas p. 307. (131.) Coronationem Olympicorum victorum Daphnae factam esse, legitur apud Malalam etiam p. 289. (123.)

12*) CЄYHPЄIA OΛYMΠIA ЄΠINЄIKIA ЄN KOΔPЄΓAIC OPOIC KIΛIKΩN.

12**) Ita scite eam rem expediit Belleius de Rhoso oppido in Memor. Acad. Inscr. XXX. p. 264. Cf. Eckhel. D. N. T. III. p. 79.

13) περὶ τοῦ πλέθρου p. 271.

14) Malalas p. 290. (124.) Cf. Chronicon Paschale p. 490. B. (262. Par.)

15) Malalas p. 286. (122.)

Digitized by Google

solebant, de Daphnaea luxuria, qua Romani milites corrumpebantur [1]: nec milites tantum, sed etiam ipsi Imperatores Romani [2]. Iam autem ingruebant tempora, quae Antiochenis minus placere possent. Quod Pescennium Nigrum ad imperium capessendum excitaverant opibusque foverant, tantam iis Septimii Severi iram contraxit, ut Laodicenis, civitati sibi infestissimae [3], subiicerentur [4]. Mox tamen Antiochenis libertas reddita est [5]; postea ab Antonino Caracalla coloniae nomine ornabantur, sed salvis tributis [6]. Septimius Severus Antiochiam auxit lavacro Severiano in vetere urbe ad montem sito [7], alioque, quod Livianum dicebatur, eiusdem imperatoris iussu campestribus locis extructo [8]. Tertium mox lavacrum addidit Philippus Arabs, Philippeum dictum [9]. Posthaec dirissima clades Antiochiam oppressit. Nam cum Valerianus Gallienusque imperii molem, barbarorum incursionibus et discidiis legionum impulsam sustinere non valerent: Persae Sapore rege Antiochiam

1) V. Fronto ad Verum II, 4. p. 117. Cf. princ. histor. fr. 2. p. 340. Lampridius Alex. 53. Vulcat. Avid. 5. 6. et Casaubon. in Capitolin. Marc. Antonin. 8.

2) De Veri vita, quam Antiochiae degebat, Capitolin. M. Antonin. 8. Ver. 7. De Pescennii Nigri ludis festisque cum Antiochenorum populo celebratis Herodian. II, 7. 8. (*οἱ τὴν Ἀντιόχειαν κατοικοῦντες μεγίστην πόλιν καὶ εὐδαίμονα σχεδὸν παρὰ πάντα τὸν ἐνιαυτὸν ἑορτάζουσιν*). Etiam Macrino et Severo Alexandro luxuriosa vita et desidia apud Antiochenos multum nocuit. Herodian. V, 2. VI, 7.

3) v. Herodian. III, 3.

4) Suidas v. Σεβῆρος.

5) Vaillant. Num. aer. Imp. in colon. T. I. p. 33. 122.

6) Paulus in Digestis L, 15, 8. §. 5. Cf. Spartian. Carac. 1. Vaillant. l. l. T. II. p. 277. cf. T. I. p. 240.

7) Malalas p. 294. (126.) Euagrius II, 12.

8) *ἐκ τῆς περισσείας τῶν ἀπομεινάντων ἐγκαυστικῶν χρημάτων ἐκ τῶν δημοσίων τῶν πεσόντων*, i. e. e pecunia, quae ex ruderibus balneorum incendio deletorum coacta erat. Malal. p. 294. 295.

9) Malalas p. 318. (3 ed. Ven.). Nisi forte hic Philippus, cuius lavacrum Malalas a Constantino sublatum dicit, quod tempore collapsum et inutile factum esset, antiquus ille Rex intelligitur, de quo supra diss. I. §. 25. dictum est.

Digitized by Google

proditione sibi patefactam repentinoque tumultu captam diripuerunt et incenderunt [10]). Antiocheni tum forte in theatro considentes mimo cum uxore in scenam immisso intentissimo studio inhiabant, cum mima repente: *Nisi somnus est, en Persae,* inclamavit, iamque sagittae et pila desuper ingesta omnes theatri caveas perstrepuerunt [11]). Domninus chronographus haec facta esse tradidit anno Antioch. CCCXIV., id est p. Chr. 266., sed idem secum pugnat, cum Valeriano regnante Antiochiam captam narraverit, qui anno p. Chr 260. a Persis captus est. Verum has chronologicas quaestiones expedire, et longum et a proposito meo alienum est [12]). Aurelianus, orbis restitutor, etiam Syriam Romano imperio, Syriaeque pacem et securitatem reddidit; Antiochiae multo favore exceptus [13]) circenses ibi ludos spectavit, quibus Zenobia dromonaria camelo vecta circumferebatur [14]). Dicitur etiam locum aedificasse, in quo eam per tres dies vinctam populo ostenderet, cumque appellasse Θρίαμβον [15]). Multum ad restituendam Antiochiam contulisse videtur Saturninus, quem Hieronymus in Chronico narrat Antiochiae novam civitatem condere coepisse [16]): idem dux, qui postea cum imperium ad se delatum invitus accepisset, brevi in Syria imperavit.

14. Diocletianus inter urbes, inter quas imperii honorem quo-

---

10) Zosimus III, 32. p. 169. ed. Bonn. (hic etiam annis nonnullis ante hanc cladem sub Treboniano Gallo Antiochiam a Persis captam narrat I, 27. p. 27. ed. Bonn.). Malalas p. 296. (126.), qui diversas Domnini et Philostrati narrationes proponit.

11) Ammianus XXIII, 5. (in quem l. v. quae Valesius annotavit). Liban. de Iuliani nece T. II. p. 60. R. Hegesipp. III, 5.

12) Eunapii errorem, qui eas res in Constantini tempora transtulit (p. 29. ed. Boisson.), multi notaverunt. Cf. Wyttenbach. T. II. p. 65. Heyne in Zosim. I, 36. — Caeterum iam ante, Gordiano III. regnante, Persae Antiochiam tenuerant, donec ab Imperatore expulsi sunt: sed nihil tum urbi nocuisse videntur. V. Capitolin. Gordian. tert. 26.

13) Zosimus I, 51. p. 45.

14) Malalas p. 300. (128.)

15) Malalas p. 300.

16) Hieronym. ad a. 280.

Digitized by Google

dammodo partiri cogitabat, etiam Antiochiam sedulo coluit et ornavit. Quae ibi struxit palatia, Imperatoribus, quando ipsi Antiochiae degerent, destinata erant. Ac primum in ipsa urbe struxit Palatium magnum, cuius fundamenta iecerat Gallienus [1]). Quod proditur prope Regiam fuisse: sed quae ea Regia fuerit, ubive sita, ignoratur [2]). Interim, donec certiora invenientur, coniicere libet, palatium illud eodem loco fuisse, quo cruciatarum expeditionum tempore etiamtum palatium imperatorum stabat, id est in ea urbis parte quae septentrionem et occidentem spectabat. Ante portas erat Tetrapylum Elephantum [3]), arcus puto triumphalibus Romae fornicibus similis, quibus elephantum quadriiuges currus non raro impositos fuisse, numi imperatorum demonstrant. Alterum palatium Diocletianus struxit Daphnae, ubi Imperatores ludorum tempore commorari possent, cum antea tentoria sive papyleones pro tempore extructa iis suffecissent [4]). Quae alia tum Olympiorum solennium caussa Daphnae vel facta vel refecta sint, supra expositum est (Diss. I, 24. II, 12.). Hecatae autem templum subterraneum, quo CCCLXV gradibus descendebatur, superstitiones quae eo tempore Antiochiae maxime viguerint, indicat [5]). Non aliud esse suspicor illud Matronae barathron sive spelaeon,

---

1) Malalas p. 306. (131.) Cf. Theophanes p. 34., qui idem Palatium a. 355. commemorat. *Τὰ βασίλεια* Theodoret. Hist. eccl. III, 27., *τὰ ἐν τῷ κήπῳ τοῦ βασιλείου δένδρα* Liban. de fort. sua p. 82. *Πρὸς τῷ πυλῶνι τοῦ Παλατίου* aditur Iovianus ab Arrianis, ut ait Athanas. colloq. Arian. T. II. p. 29. ed. Colon.

2) Malalas p. 328. (8.) Constantinopoli Regia quasi vestibulum Palatii erat, v. Chronicon Pasch. p. 528. Bonn. (284. Par.) Ammian. Marcell. XXV, 10, 2. narrat Maximiani Caesaris statuam, sphaeram aeream manu gestantem, locatam fuisse in vestibulo Regiae.

3) Iulianus orationem contra Antiochenos proposuit, Malala teste p. 328: *ἔξω τοῦ Παλατίου εἰς τὸ λεγόμενον Τετράπυλον τῶν ἐλεφάντων πλησίον τῆς Ῥηγίας.*

4) Malalas p. 307. (132.) De hoc Theodos. Cod. XV, 2, 2. de aquaeduct.: *Aquaeductus, qui usum aquae praestat Daphnensi palatio.* (Valens Imp. a. 369.) Cf. Gothofred. T. V. p. 373. Itinerar. Hierosolymit. p. 581: *ad Palatium Dafne M. V.* (ab Antiochia inde), ubi cf. Wesselingii annot.

5) Malalas p. 307. (132.)

Digitized by Google

cuius in vicinia eam Iudaeorum synagogen, quae Daphnae erat (nam in urbe altera sita erat), structam fuisse, apud Chrysostomum legitur [6]. Publicae vero imperii et exercitus saluti destinata erant horrea, quae Diocletianus in urbe, et armorum fabricae tres, quas Daphnae extruendas curavit, ac Moneta Antiochiae, antea terrae motu concussa nunc refecta [7]. Oppidanis quidem maxime placuit magno lavacro, quod in inferiori urbis parte ad circum veterem extruxit [8], et quattuor praeter illud balneis, quorum unum cum συγκλητικὸν appellaverit, Senatus id honori dedisse videtur [9]. Quanquam idem princeps, qua erat animi constantia et pervicacia, etiam lascivientis vulgi libidinem acriter reprimere et cruentis suppliciis coercere non cunctabatur [10].

Maximinus cum in Asia regnaret et Christianos, quorum nomen in dies celebrius apud Antiochenos increscebat, magnis odiis persequeretur: etiam plebecula urbana vehementer in Christianos concitata est [11]. Ac paganorum superstitiones tum valde alebantur novumque quendam succum traxisse videbantur Iovis Philii sacris. Huius dei, Christiani scriptores narrant, Theotecnum quendam praestigiatorem simulacrum aliquod arcanis caeremoniis consecrasse idque nefandis initiis et piacularibus sacris coluisse [12]. Iovem hunc Philium ab Antiochenis illorum temporum cul-

6) Chrysost. adv. Iud. I, 6. T. I. p. 595. Montf. c. 8. p. 599. in Epist. ad Tit. homil. III, 2. T. XI. p. 746. Hoc loco hoc Matronae barathron coniungit cum loco Saturni appellato in Cilicia.

7) Malalas p. 307. 308. (131. 132.)

8) Malalas p. 306. 307. (131.)

9) Malalas p. 307.

10) Hic dolor Libanio familiaris est. V. Antioch. p. 323. ad Theodos. p. 644. c. at. sec. p. 660. Sed admodum obscura res tumultus illius Eugenii caussae et exitus. V. Tillemont. *Hist. des empereurs* T. IV. p. 74. Quam horrendam cladem Maximus Licinianus (qui aliis dicitur Maximinus Licinius), imperator in Oriente, inter Antiochenos in Circo ediderit, Malalas narrat p. 314.

11) Euseb. Hist. eccl. IX, 2. Nicephor. VII, 25. Cf. Noris. Ann. Syromac. diss. III. c. 6. p. 246 sqq.

12) Euseb. IX, 3. cf. IX, 11.

Digitized by Google

tum esse, etiam Iuliani Imperatoris testimonio comprobatur [13]). Ac Iovis ita cognominati etiam apud Atticos scriptores, apud Platonem, qui eam consuetudinem e Socratis familiari sermone traxisse videtur [14]), et comicos poetas [15]), non rara mentio: sed Attici homines non aliter de eo sensisse videntur, nisi quod amicitiae iucundaeque vivendi communioni eum praeesse putabant [16]). Alia et vetustior atque ex penetralibus mysticarum religionum petita erat Arcadum de eo numine sententia, quibus Polycletus signum eius dei finxerat, quod postea apud Megalopolitanos in aede Iovis Philii positum est. Id signum speciem fere Liberi patris referebat: nam cothurnis erat calceatum alteraque manu poculum, altera thyrsum gestabat, cui aquila insidebat. Prope templum lucus erat inaccessus, cuius in aditu Cereris et Proserpinae signa posita erant [17]). Facile intelligitur, hunc Philium Iovem coniunctum fuisse cum numinibus terrae ac inferorum, quibus singularis quaedam benevolentia et benefaciendi potentia inesse credebatur. Sed ab his diligentius explicandis hic abstineo: huius autem loci magis esse videatur, ut moneamus etiam in Asianis religionibus indicia reperiri eiusdem numinis, vel similis cuiusdam apud Asianos oriundi et in eandem speciem formati. In hunc censum veniunt pulcri et satis antiqui Ciliciae numi, cum Phoenicia epigraphe, quibus Iuppiter proponitur solio insidens

---

13) Iulianus Misopogone p. 346. ed. Spanhem. Iovis Philii aedem sacram apud Antiochenos memorat. Cf. Liban. de fort. sua p. 82.

14) Plato saepe *πρὸς Διὸς Φιλίου* et omisso *Διὸς*, *πρὸς Φιλίου*, Phaedr. p. 234. Gorg. 519. aliisque locis, quem Lucianus in utroque usu sequitur, de rhetor. praecc. 4. (ubi *Διὸς* non opus est ut expungatur) Icaromen. 3. et saepius. Non aliter Themistius T. I, 19, 6. ed. Dindorf.

15) Pherecrates et Menander ap. Photium et Suidam v. *Φίλιος*. Etiam Megarensis ap. Aristophanem *ναὶ τὸν Φίλιον* iurat, Acharn. 730.

16) Id, praeter Platonis usum, maxime cognoscitur e festivis Diodori Sinopensis (*ἐν Ἐπικλήρῳ* ap. Athenaeum VI. p. 239. b.) versibus:

τὸ γὰρ παρασιτεῖν εὗρεν ὁ Ζεὺς ὁ Φίλιος,
ὁ τῶν θεῶν μέγιστος ὁμολογουμένως·
οὗτος γὰρ εἰς τὰς οἰκίας εἰςέρχεται κ. τ. λ.

17) V. Pausan. VIII, 31, 2. Cf. Creuzer. Symbol. et Mythol. T. II. p. 471. Gerhard. Prodrom. mythol. p. 114.

Digitized by Google

ac spicas uvasque manibus tenens [18]. Etiam in Pergamenis numis (quae civitas mysticis religionibus admodum referta erat) sunt qui Iovem Philium agnovisse sibi videantur numismatum periti [19].

15. Cum ad Constantinum pervenimus: aliud aedificiorum genus recensendum et describendum se offert: Christianorum aedes sacrae. Iam ante Constantini tempora basilica quaedam Christianis sacris dicata erat, quam veterem et apostolicam appellant [1], puto quod eodem loco stare credebatur, quo Christianorum sacra ab ipsis apostolis constituta erant [2]. In hanc cum imperator Romanus, sive Philippus sive Decius sive Numerianus, introrumperet, obstitit ei Babylas episcopus: hinc eius martyrium et veneratio [3]. Magnam autem aedem, multitudinis capacem eorum, qui in hac Christiani nominis altrice urbe novis sacris se addixerant, primus fieri iussit Constantinus, neque is perfecit [4]. Sed Constantius absolvit, pretiosa eam suppellectili instruxit dedicavitque, sex annis post

---

18) De his numis, qui Tarso tribuuntur, Eckhel. D. N. III. p. 412 sqq. Mionnet *Descr.* III. p. 668. Toelken. in ephemer. artific. Berolin. (*Berliner Kunstblatt*) T. I. fasc. VI. (1828. Jun.) p. 175.

19) V. Eckhel. D. N. II. p. 465. Sylloge num. p. 36.

1) *Παλαία* dici videtur in Chronico Paschali p. 584. ed. Bonn. (296 Par.), Apostolica a Theodoreto III, 12. Nescio an haec ecclesia significetur, ubi Theodoretus ait Meletii episcopi asseclas in Palaea, Eustathii sectam seorsim sacris catholicis operam dedisse, III, 4. Cf. Montefalcon. in Io. Chrysost. in Acta II, 1. T. III. p. 60. Fabula Antiochenorum conditam eam basilicam ferebat a Theophilo illo, cui Lucas acta inscripsit, *in proprio domate.* V. Willerm. Hist. IV, 9.

2) In angiportu prope Pantheum, dicta Singonis. V. supra §. 6. ann. 5.

3) Nicephor. Hist. Eccl. V, 26. VI, 33. Euseb. Hist. Eccl. VI, 39. cf. 29. et in Chronico ad Decium imper. Malalas p. 303. Cf. imprimis Bollandistas in Act. Sanct. ad Ianuar. d. 24. T. II. p. 569. Montefalcon. in Vita Chrysost. T. XII. p. 98. quod Numerianum ab hac re alienum arbitratur, non refragor: sed eum non nisi ab obscuro quodam scholiasta vel martyrologio in ea re memorari, non recte dixit. V. Malalas l. l.

4) Malalas p. 318. (3.) 324. (6.) 325. (7).

Digitized by Google

fundamenta a patre iacta [5]). Stetit ea usque ad Iustinum, ann. p. Chr. 526 [6]): certe Malalas eam tum ignibus ex ipsa terra prorumpentibus, quae dirissima erat terrae motus pars, absumptam esse narrat: sed mox refecta est, peperceruntque ei ipsi Persae, cum Chosroë rege Antiochiam cepissent [6*]). Haec est, quam Iulianus post Daphnaei templi incendium occludi iussit [7]), quam Iovianus Christianis orthodoxae fidei reddidit, Valens autem Arianae sectae dogmatis addictus iterum illis eripuit [8]). Stetisse eam puto iisdem locis, quibus antiqua illa apostolica, cuius nomen in eam translatum est [9]), quanquam Philippi lavacrum ad eam amplificandam assumptum esse, e Malalae narratione intelligitur. Magnam ecclesiam, τὴν μεγάλην ἐκκλησίαν, dictam esse et Malalas et Io. Chrysostomus testatur, cuius pleraeque homiliae in ea habitae sunt [10]). Nostrum autem est, colligere omnia unde appareat, quae eius forma, quae structura fuerit. Magna erat aula muro cincta, in qua media ipsa aedes, ὁ εὐκτήριος οἶκος, ad magnam surgebat altitudinem. Forma fundamenti octaedros, sed circa hanc figuram oeci et exedrae exteriores, partim sub terra, partim per tabulata altius suspensa extructa erant [11]). Solum magnis saxorum tabulis constratum erat [12]); multi fulgebant et in parietibus et in columnis pretiosi lapilli, quibus minus splendidi incrustati erant [13]); multus ubique aeris et auri splendor,

---

5) Theophanes p. 24. ed. Ven. Cf. Theodoret. III, 12. Hieronymus cum anno p. Chr. 329. adscribit: *In Antiochia dominicum, quod vocant aureum*, aedificari coeptum, erravit, si Constantius opus post sex annos absolvit. De aedis eius dedicatione ad a. 341. m. 6. scribit Pagius. Cf. Assemann. Bibl. orient. I. p. 252.

6) Malalas p. 419. (50). 6*) Procop. bell. Pers. II, 10. p. 195. ed. Bonn.

7) Ammian. Marcell. XXII, 13, 1. Theophanes p. 34. Theodoret. III, 12., qui eam tum Arianorum fuisse narrat, sicut Nicephor. X, 29. Cf. Gibbo Hist. Rom. Imp. II. p. 410.

8) Theodoret. IV, 24.

9) V. Theodoret. III, 12.

10) V. Io. Chrysost. T. VI. p. 255. ed. Montf.

11) Haec ducta ex Eusebio V. Constantin. III, 50. Cf. idem de laud. Constant. c. 9.

12) Io. Chrysost. si esur. inim. 3. T. III. p. 160.

13) Hoc intelligitur e Io. Chrysost. in Ep. ad Ephes. homil. X, 2. T. XI. p. 78.

Digitized by Google

nec deerat, quod notabile videtur, signorum (ἀγαλμάτων) ornatus [14]), cuius etiam in sacris rebus Antiochenos omnino studiosos fuisse credibile est [14*]). Sed maximam mirationem faciebat tectum [15]), quod immensae altitudinis [16]), in tholum formatum (σφαιροειδές) [17]) auroque superinductum [18]) erat. Hinc ab Hieronymo Dominicum aureum dicitur. Hoc hemisphaerium cum terrae motu, qui Iustino imperante accidit, vel cum tota ecclesia dirutum vel labefactatum esset, refecisse id traditur Ephraemius architectus lignis ex luco Daphnensi petitis, id est cupresseis, idque (mirum dictu) cum subsequentibus terrae motibus versus boream inclinatum esset, eo motu qui sub Mauritio, a. p. Chr. 589, Antiochiam afflixit, in pristinum statum repositum esse narratur [19]). Adde, in eo templo aram (τὸ θυσιαστήριον) versus occidentem collocatam fuisse, non, ut fieri solebat, versus orientem [20]). Ex hac quamvis imperfecta notitia intelligitur saltem, hoc Antiochenorum templum forma non dissimile fuisse aedis S. Vitalis, quae Ravennae sub ultimis Gothorum regibus structa inter celeberrima est Christianae antiquitatis monimenta, namque tholum et haec erigit supra octaedron aream [21]).

14) Etiam hoc e Chrysostomo T. XI. p. 78. affero.

14*) Meletii episcopi Antiocheni imagines, Chrysostomus illius discipulus narrat, in annulis, vasculis, parietibus ubique expressas fuisse.

15) Io. Chrysost. de mut. nom. II, 1. T. III. p. 109. in Genes. VI, 2. T. IV. p. 42. b.

16) ὕψος ἄφατον dicit Io. Chrysost. si esur. inim. 3. T. III. p. 160. c.

17) Theophanes p. 24.

18) Io. Chrysost. in Ep. ad Ephes. hom. X, 2. T. XI. p. 78. Huius tholi magnificentiam etiam titulus praedicat, quem servavit Malalas p. 326. (7), cuius forma haec fuisse videtur:

Χριστῷ Κωνσταντῖνος ἐπήρατα οἰκί' ἔτευξεν
Οὐρανίαις ἀψῖσι πανείκελα, παμφανόωντα,
Κωνσταντείου (i. e. Constantii) *ἄνακτος ὑποδρήσσοντος ἐφετμαῖς·*
Γοργόνιος δὲ Κόμης θαλαμηπόλον ἔργον ὕφανε.

19) Euagrius VI, 8. Nicephor. XVIII, 13.

20) Observavit id Socrates Hist. Eccl. V, 22. p. 297. ed. Reading. Cf. Letronnius in opere sanequam docto *Hist. du Christianisme en Egypte* p. 144.

21) V. d'Agincourt *Histoire de l'archit.* pl. 23, 1—2. et de hoc genere aedium sacrarum Dronke et Lassaulx *Matthias-Capelle bei Kobern* p. 51. cf. p. 25.

Digitized by Google

Ac colligitur inde, tholi eam formam in orientalibus imperii Romani plagis vel antiquiorem vel non posteriorem certe fuisse, quam basilicarum oblongam speciem.

Iisdem temporibus etiam Babylas, quem propter Christiana sacra sub Decio Numerianove interfectum diximus, in ea aede coli coeptus esse videtur, quae extra portas trans Orontem sita erat. In hac cum ossa eius primum composita essent [22]): postea a Gallo principe in Daphnaeum delubrum translata sunt, ubi cum Apollo mortui hominis vicinia os sibi occludi questus esset — nempe etiamtum cadavera aversatus ut olim in Delio delubro — Iulianus ea ossa in illud templum extra Urbem reportari iussit [23]), in quo larnax, qua martyris ossa continebantur, etiam viginti annis post, cum Io. Chrysostomus orationem de S. Babyla contra gentiles haberet, servabantur, in monimentum scilicet vanorum Apollinis et Iuliani furorum [24]).

16. Nec tamen inter has novorum sacrorum molitiones et fabricas publicis privatisque Antiochenae plebis commodis minus providebatur. Constantini praecipua opera haec erant: basilica quae Rufini dicebatur, quod post Augusti discessum a Rufino Praefecto praetorio absoluta est, qua Mercurii aedis, quae eodem loco fuerat, area occupabatur [1]): praetorium

22) Euagrius I, 16., cuius interpretatio ex iis, quae secuntur, petenda est. Io. Chrysost. hom. de hierom. Babyla c. 3. T. II. p. 535. Montf. Cf. Acta Sanctor. T. II. p. 578.

23) V. Rufinus Hist. Eccl. I, 35. 36. Socrates III, 18. Sozomenus V, 19. Theodoret. III, 10. Euagr. I, 16. Niceph or. X, 28. XIV, 44. Theophanes p. 33. Io. Chrysost. de hierom. Babyla c. 2 sqq. T. II. p. 533 sqq. de Babyl. contra Iulian. c. 12 sqq. p. 555 sqq. Eandem rem spectat Ammianus Marc. XXII, 12, 8.

24) Io. Chrysostom. c. 23. p. 577. Montf.

1) V. Malalas p. 318. 319. (4.). Exadversum sita erat lavacro Olbiae, non longe dissita a vico Thalassiorum. Malal. p. 397. (40.) Circumdata erat duobus tetrapylis. Malal. l. l. Conflagravit imperante Anastasio, sed eius imperatoris iussu restituta est. Malal. p. 398. (41.) cf. etiam p. 423. (52.). Zosimus, qui V, 2. p. 249. ed. Bonn. sub Arcadio et Honorio a Rufino, potentissimo illo Arcadii amico, basilicam Antiochiae factam esse dicit, splendidissimum Ur-

Digitized by Google

in eadem Urbis parte extructum, ut comitis Orientis sedes esset, qui nunc Antiochiae continuo degere iussus est, cui aedificio Musarum templum, quod ad forum fuisse supra ostendimus, insumptum est 2): denique Xenon sive hospitium, quod aedificium ad excipiendos peregre venientes institutum prope magnam Christianorum aedem extructum est 3). Cum Plutarchus, Christianus homo, Antiochenorum archon, in struendo hoc Xenone occupatus esset, invenisse traditur statuam Neptuni, et Asphalii quidem, nam ad terrae motus arcendos erecta esse dicitur: ex qua refusa statuam fecit Principis, quae titulo inscripto BONO CONSTANTINO extra Praetorium posita est. Posuit Constantinus etiam matri suae Helenae statuam in Daphnaeo luco, propter quam locus Augustaeum dictus est 4).

Quod diximus, Musarum templum tum Comitis Orientis praetorii cessisse, non prohibet, quominus etiam post Constantinum Musei apud Antiochenos mentio fiat. Eudocia Augusta, Theodosii minoris uxor, cum Antiochiam coram Antiochenis splendida oratione laudasset, statua ei posita est in Museo 5). Publicam scholam Libanius commemorat ad Museum prope Calliopen 6). Hinc intelligitur, hoc quod tum supererat Museum diversum fuisse ab illo, quod forum attigisse ostendimus. Calliopes autem templum videtur ad mediam portam fuisse, qua Parmenio ex monte

---

bis aedificium, non aliam significasse potest nisi hanc. Sed Malalae in ea re potior fides, ut Zosimum existimem turpi errore hunc Rufinum antiquiori illi substituisse.

2) Malalas p. 319 (4.). Ex eodem p. 397. (40.) intelligitur, hoc praetorium et basilicas Rufini et Zenodoti non multo spatio fuisse disiunctas; haec enim omnia sub Anastasio incendio consumpta sunt.

3) Malalas p. 318.

4) Suidas v. Αὔγουστος.

5) Chronicon Paschale p. 585. (316 Par.)

6) Liban. de fortuna sua p. 71. Alia erat ad curiam p. 73., in qua etiam certamina rhetorum committebantur, v. Liban. epist. 367. cf. 767., sicut in templo Minervae, epist. 767. Caeterum etiam minores scholae, privataque διδασκαλεῖα Musea dicuntur a Libanio, V. epist. 407. 462., ubi παῖς memoratur ἐν μουσείοις λόγων ἀθλητής.

Digitized by Google

defluebat [7]). Non aliud autem fuisse opinor Museum, quod ab Antonino Pio conditum esse supra memoravimus [8]), id enim cum Nymphaeo coniunctum erat, ac Nymphaeum fuisse ad Calliopes aedem, ex confusa quadam et obscura Malalae narratione divinari potest [9]). Bibliotheca Antiochena, quae in Museo Antiochi Philopatoris fuerat, quid factum sit, non magis definire licet, quam fortuna eius bibliothecae, cui Antiochus Magnus olim Euphorionem praeposuerat [10]); aliam bibliothecam, in aede, quae Traiani olim fuit, dispositam combussisse traditur Iovianus princeps [11]).

17. Constantius, Constantini filius et in Oriente successor, quanquam plerosque imperii sui annos Antiochiae transegit [1]), atque hac praesentia civitatis splendorem haud mediocriter auxit [2]): de operibus tamen in ea urbe ab eo structis, praeter aedem Christianorum absolutam, nihil traditum habemus. Sed Iulianus tamen, urbem ab eo et porticibus et fonti-

7) v. supra §. 8. ann. 4. Miror tamen, Musarum aliquod delubrum etiam a Libanio (si Libanii eae *ἐκφράσεις* sunt) p. 1114. in foro commemorari, cuius in aditu Minervae statua collocata erat. Nam Antiochiae Museum illud fuisse, eo minus dubitationi obnoxium esse videtur, quod Minerva illa, Phidiacae in Parthenone simillima nisi quod Victoriam in dextra non habet, eam plane refert, quae in numis Antiochi Sidetae s. Euergetae conspicitur. V. diss. I. §. 24. ann. 7.

8) §. 10.

9) §. 8. ann. 4.

10) Suidas v. *Εὐφορίων*.

11) Suidas v. *Ἰοβιανός*.

1) In his annis constituendis multus est Gothofredus in Theodosianum codicem, pluribus ll.

2) Hinc Orbis descriptio, quam edidit Maius Classic. auct. e Vatic. codd. edd. T. III. c. 17. p. 394., de ea urbe dicit: *Quarum* (Syriae civitatum) *prima Antiochia, civitas regalis in omnibus, ubi et dominus orbis terrarum sedet* (Constantium esse viderat iam Gothofredus, qui fragmentum eius libelli ediderat Genevae a. 1628.), *civitas splendida et operibus publicis eminens et multitudine populorum ornata, undique accipiens omnes sustinet, abundans omnibus opibus.* De nomine Constantiae sive Constantianae, quam Antiochia assumere tum solebat, dixit Ez. Spanhemius Obs. ad Iulian. p. 266. Constantinianam autem Daphnen non esse hanc Syriacam, plures monuerunt VV. DD.

Digitized by Google

bus exornatam esse refert [3]). Ac plurimum ille commerciis Antiochenorum profuit exciso portu Seleuciae, de quo magno opere supra diss. I. §. 4. diximus.

Iulianus princeps, quis nescit, quantum molitus sit, ut Antiochenorum animos sibi conciliaret, et quanta ira commotus, cum in eo studio cecidisset [4]). Antiqua sacra, quae instaurare omnibus viribus annitebatur, Daphnaea potissimum erant Apollinis, sed etiam Tychen Antiochenam sancte veneratus est [5]), Iovique in Casio monte hecatomben mactavit [6]), victimarius ille non falso opprobrio a Christiano populo obiurgatus. Etiam Iudaeorum templum tum instauratum est [7]), cum Christianorum ingens et magnifica aedis occludebatur, et, si ea fides est harum partium scriptoribus, foede inquinabatur [8]). Caeterum Antiochenis a Iuliano non solum antiquarum religionum contemptum, sed publicae etiam privataeque vitae

3) Iulian. Or. I. p. 41. Spanh.

4) Zosimus III, 11. p. 140. recte dicit, plebeculam illam ludorum cupidissimam et luxuria diffluentem Principis temperantiam et modestiam aegre tulisse. Quantum ille, rerum venalium certo pretio constituto (qua re Antiochenis valde se profuturum opinabatur), cum caupones omnes Antiochiam fugerent, odium sibi contraxerit, narrant Sozomen. V, 19. Socrates III, 17. Cassiodor. VI, 40. Nicephorus X, 27., et qui in ea re Iulianum prudenter reprehendit, Ammian. XXII, 14, 1. 2. Ipse eam rem tangit Iulianus Misopogone p. 350. 369. Spanh.

5) Ammian. Marc. XXIII, 1, 6. Cassiodor. VI, 35. cf. diss. I, 15. ann. 6.

6) Ammian. Marc. XXII, 14, 4. Malalas p. 327. (7.)

7) Theophanes p. 35. Cf. de ea aede Iulian. Misopogon. p. 361. Spanh. Io. Chrysost. adv. Iud. 1, 6. T. 1. p. 595. Montf. Videtur eadem esse, quam antiqui reges aerea Hierosolymitani templi suppellectili exornaverant. V. diss. I, 10. Postea cum Theodosius Iudaeis Antiochenis synagogas redditurus esset, quas Christiani illis ademerant, ita territus esse dicitur Simeonis Stylitae epistola, ut ab eo coepto desisteret. Euagr. I, 13. Sub Anastasio Daphnaea Iudaeorum synagoge cremata est, ac factum inde S. Leontii martyrium. Malalas p. 396. (40.)

8) Quem propter eam rem acerbissime incusant Christiani scriptores, Iulianus imperatoris avunculus (Sozomen. V, 7. Theodoret. III, 11. Cassiodor. VI, 10. 32.), hunc Imp. in Misopogone p. 365. Spanh. δικαιότατα quidem affirmat

Digitized by Google

inconstantiam et petulantiam exprobratam esse, Misopogon eius, qui etiamnum superest, ostendit.

18. Qui post Iulianum et Iovianum in Oriente imperabat, Valens, quanquam orthodoxae fidei sectatoribus valde invisus esset [1]), Antiochenae tamen plebis gratiam multis beneficiis meruit. Is cum anno p. Chr. 371. decimo Novembris die Antiochiam venisset [2]), et pacem induciasve, non sine imperii detrimento, cum Persis pepigisset: magna ibi opera struere coepit. Fori quod extruxit et situm et formam plenius compertam habemus, quam plurimorum eius regionis monimentorum [2*]). Situm erat qua Parmenio torrens inter montes descendebat: hic fornicum arcuatione ita superstructus erat, ut super eo forum continuum explicaretur [3]). Area fori (τὸ μέσαυλον), cuius pars illa arcuatione subnixa erat, marmore erat strata; media in area ingens columna Valentiniani Augusti, quem Valens frater potestatis suae auctorem colebat, statuam attollebat [4]). Itaque tum etiam Antiochia suum sibi Traiani forum cum columna habebat. Quattuor, Malalas narrat, id forum cinctum fuisse basilicis, quarum una, quam ipse

---

praefuisse Antiochenis, quamdiu dii ipsi cum illis esse concessissent, nec tamen προμηθέστατα oeconomiam urbis curasse.

1) Queruntur orthodoxarum partium studiosi, eodem tempore vera et genuina Christianorum sacra oppressa, Bacchi autem et Cereris orgia et Διάσια (Iovis Philii sacra, puto) magna cum lascivia et impunitate celebrata esse (Theodoret. IV, 24.), dum Christiani, ut sua sacra pie obirent, in montem secedere cogerentur (Id. IV, 25.).

2) Malalas p. 338. (13.) De tempore, quo Valens Antiochiae vixerit, agit Gothofr. in Theodos. Cod. p. 93 sqq. Degisse eum ἐν τοῖς αὐτόθι βασιλείοις, refert Zosimus IV, 13.

2*) Distinguendum id esse apparet a vetere foro, quod in rebus Vespasiani (v. supra §. 6. ann. 3.) quadratum dici videtur. Septem Antiochiae fora fuisse dicit Hadschi-Chalifa, *Gihân Numâ* T. II. p. 343., unum tectum. Sed in septenario numero ludunt hi scriptores, nam etiam portas, fontes, montes septem fuisse fabulantur.

3) Malalas p. 339. (13.)

4) Malalas l. l. Nescio an eadem haec statua sit ὁ ἑστὼς χαλκοῦς ἀνδρίας ὁ λεγόμενος Κολονίσιος τὸ μέσον τοῦ ἀντιφόρου, unde sub Anastasio Menas Nycteparchus a furente plebe suspensus est. Malal. p. 397. (40.)

Digitized by Google

Valens extruendam curaverat, opposita erat Commodi lavacro: altera erat Caesarium, cuius concha tantum (de qua supra §. 2. dicebatur) tum servata, reliqua pars, ut foro locus daretur, destructa est: tertiam intelligere videtur Malalas Plethrium, quod inter Commodi lavacrum et Caesarium medium fuisse videtur, et quartam Macellum, quod antea Martis delubrum fuerat, et nunc novam formam, a basilica non plane abhorrentem, induisse videtur [5]). Haec autem aedificia, ea puto parte qua forum spectabant, Valens ornari iussit magnis columnis Saloniticis, ex Illyrico, ut videtur, marmore excisis [6]), ac splendida addidit laquearia [7]), variique coloris marmorationem, picturas denique et opera vermiculata. Valentiniano Augusto praeter eam statuam, quae in columna posita est, marmoreum signum in Senatu Conchae (de quo dictum est §. 2. ann. 3.) aliudque e pretioso lapide confectum in media concha erectum est [8]). De amphitheatro Antiochenorum tum in venationem mutato supra (§. 2.) dictum est; lavacrum a Valente prope Circum extructum verbo memorasse sufficit [9]).

19. Etiam Theodosii Magni tempora Antiochenis laetiora erant, quam pro meritis eorum: quanquam privatae eorum opes tum iam valde laborabant [1]). Hinc magna illa seditio, quae propter vectigalia aucta anno p.

---

5) *Μάκελλος διὰ τὸ ἐκεῖ τὰ χοίρεια κρέα κόπτεσθαι μόνον.* Malal. p. 287. (122) Commodium postea factum est praetorium Consularis Syriae. Malal. p. 338. (13.) Prope Commodium et Caesarium horologium fuisse scribit Malalas, puto aedificium eius generis, quale ab Andronico Cyrrhesta Athenis factum est.

6) Traguriense marmor, quod Plinius laudat N. H. III, 22., ex iisdem montibus provenisse videtur: nam Tragurium in vicinia Salonae fuit.

7) *καλαθώσας τὰς ὑποροφώσεις* dicit Malalas p. 339. De voc. *καλαθοῦν* v. Ducangius.

8) Malalas p. 339. (13.)

9) Malalas p. 339. Ammian. Marc. XXXI, 1, 2. Hoc lavacrum, cum pars eius igne consumpta esset, Theodosius II. Eudociae hortatu refecisse narratur. Euagr. I, 20. Niceph or. XIV, 50.

1) Libanius pro rhetor. p. 216.: *τῶν οἴκων τῶν ἀπὸ παλαιοῦ λαμπρῶν ... πτωχεύειν ὁ καιρὸς οὐκ ὀλίγους ἀναγκάσας λαβεῖν μὲν τῶν λόγων οὐκ ἐκώλυσεν, εἰς δὲ μισθοῦ δόσιν ἀδυνάτους ἐποίησε.* Magna Antiochiae ecclesia tum

Chr. 387. vel 388. exarsit [2]), et eo furoris provecta est, ut statuas Flacillae et Arcadii cum Honorio, ipsiusque Principis equestrem [3]) deiectas confringerent. Theodosius quanquam Antiochenis ignovisse ferebatur, non ita tamen cum iis in gratiam rediit, quin multos ex iis graviter puniret universamque civitatem metropoleos iure et honore privaret: qui dolor eo acerbior fuit, quod idem honor in Laodicenos transferebatur [4]). Quid quod Antiochenis per aliquod tempus etiam balneorum usus interdictus est [5]): qua dirissima poena iidem iam superioribus temporibus ob magna facinora castigati fuerant [6]). Theatri autem orchestram ipsi Antiocheni ultro sibi occluserunt, et circensibus ludis per tempus aliquod abstinuerunt [6*]).

Theodosii tempore quanta et qualis Antiochia fuerit, duo eloquentissimi scriptores, novorum alter, alter veterum sacrorum cultor, Chrysosto-

---

tria millia pauperum magnis, quas habebat, opibus alebat. Chrysostom. T. VII. p. 658. a. b. cf. 808. e.

2) De hac seditione multa mentio apud Libanium (de sua fort. p. 151 sq. ad Theodos. orat. de sedit. et de venia concessa, et ad Caesarium magistrum pag. 626 sqq. 653 sqq. 678 sqq. contra paedag. blasphem. p. 269. epistol. 769. 770. 771.) et multa apud Chrysostomum (praecipue Homil. II—VI. XI—XVIII. XXI.). Narratur ea a Zosimo IV, 41. p. 223. Bonn., Theophane p. 49. d., Glyca p. 257. Par., Cedreno p. 320. Par., Theodoreto V, 19, Sozomeno VII, 23. Nicephoro XII, 43. Cassiodoro Hist. Eccl. IX, 32. Act. Sanct. Ian. T. II. p. 596. Ex recentioribus scriptoribus Baronius, Petavius, Valesius in Sozomen. l. l. annum 388. ei seditioni adscribunt; annum 387. definiunt Gothofredus in Cod. Theodos. T. I. p. 126 sq. III. p. 50 sq. Montefalcon. Vit. Chrysost. T. XIII. p. 105. Tillemont *Hist. des empereurs* T. V. p. 564 sqq. 968 sqq. (387. Februar. d. 26.). V. etiam Gibbo T. III. p. 45.

3) Has statuas enumerat Libanius ad Theodos. orat. sec. p. 656 sq.

4) V. Io. Chrysost. Homil. XVII, 2. T. II. p. 175. Theodoret. V, 20.

5) Io. Chrysost. Homil. XIV, 6. T. II. p. 149. XVIII, 4. p. 187.

6) Philostrat. V. Apollon. I, 16. p. 20. Olear.

6*) Io. Chrysost. Homil. XV, 1. T. II. p. 152. Montf. Idem suaserat civibus suis Libanius de ira Imp. p. 500., sed ita mitigatum, ut in Hippodromo pro sedecim eos sex commissiones facere iuberet. Olim M. Aurel. Antiochensibus spectacula et conventus publicos abstulerat. Capitolin. M. Aurel. 25.

Digitized by Google

mus et Libanius, multa afferunt, ex quibus existimari possit. Ille ducentorum millium tum populum fuisse testatur [7]), in quibus centum fere millia Christianorum orthodoxae fidei fuisse [8]): quos numeros viros et mulieres complecti, pueros puellasque et servos excludere puto. Nondum igitur sacrorum Christianorum lumen, quanquam indies altius surgens, antiqua sacra plane obscuraverat, a quibus ipsa ludicra, quibus Antiocheni tantopere gaudebant, animos abalienari non sinebant, Olympia, Maiuma, Circenses, quibus omnibus celebrandis sub Theodosio Magno Chuzo Praefectus praetorio, origine Antiochenus, magnam pecuniae summam destinavit [9]).

Haec hominum multitudo quantum quadrurbio continebatur, spatium implebat sex et triginta stadia longum et triginta fere stadia latum. In quo multae erant opulentiorum domus ad tria usque tabulata surgentes [10]), multa etiam tenuiorum hospitia. Tecta privatarum aedium plana fuisse, ac saepe homines, ut nunc in Oriente solent, pro cubiculis iis usos esse, inde collegerim, quod quam iucunde Favonius dormientibus afflet et sindonas corporibus circumiectas leni afflatu tollat, Libanius in laudibus Antiochiae recenset [11]). Plurimum splendoris et commodi etiam privatis aedibus accessit porticibus illis per totam urbem longe patentibus, quibus primariae fores contiguae erant [12]). Ac continuabantur quodammodo harum porti-

7) Io. Chrysost. in S. Ignatium 3. T. II. p. 597. a. *δῆμον εἰς εἴκοσι ἐκτεινόμενον μυριάδας.*

8) Idem in Matthaeum homil. 85, 4. T. VII. p. 810. a., ubi centum millia in ecclesia Christiana congregari dicit (*ἐνταῦθα συνάγεσθαι*). Antiochiae plures Christianos fuisse quam Constantinopoli, Chrysost. affirmat, Or. contra Anomoeos XI, 1. T. I. p. 541. Montf. (a. 398.)

9) Malalas p. 362. (24.) De Circensium et theatri studio saepe queritur Chrysostomus, velut T. IV. p. 730. 769. Ipsam Christianorum synaxin propterea neglectam aegre fert T. I. p. 501. b. c. Iccirco etiam Chosroes, cum Antiochiam novam extrueret, aurigas primum musicosque eo convocavit et Circum cum balneis aedificavit. Procop. bell. Pers. II, 14.

10) Liban. p. 347. Theophanes p. 117. *πεντάστεγον* aedificium commemorat, incendio sub Iustino inde a tegulis correptum et consumptum.

11) Liban. Antioch. p. 347.

12) *αἱ πρῶται θύραι*, Liban. p. 342.

Digitized by Google

cuum ordines etiam per minores vias et angiportus proiectis utrinque grundis maenianisque quibusdam [13]), quae euntem a pluvia solisque ardore defenderent, ac sub umbra ad porticus illas deducerent. Ita sub ardentissimo sole umbra non desiderabatur: noctis autem tenebrae, quibus hoc sub caelo iucundissima vitae pars transigitur, dispellebantur luminibus diurnae lucis aemulis [14]): qui Iuliani et Theodosii temporibus peculiaris huic urbi splendor fuisse videtur [15]). Neque hac nocturna luce tam securitati cavebatur, quam voluptati, idque maxime expetebatur, ut nox diei pars et pulcherrima quidem fieret. Quocirca lavacrorum aditus splendidissima omnium luce collustrabantur [16]); ipsa lavacra ita fuisse illuminata, non est quod demonstretur, cum idem etiam in aliis urbibus factum esse constet [17]).

Verum, cum privatis aedificiis in omnibus urbis partibus immixta essent delubra, lavacra, alia publica aedificia [18]), atque ea urbis loca, quae arduis saxis horrebant, pensilibus hortis magis quam aedificiis colerentur [19]), factum est, quod in magnis urbibus fieri solet, ut hominum maxime tenuiorum turba ex interiore urbe versus extremas partes compelleretur. Hinc Antiochiae, praeter urbem veterem et recentiorem, quae in insula erat, etiam suburbia accreverant late patentia. Magnum erat ultra Orontem suburbium [20]), qua campus patebat, quo Antiocheni ut Romani olim Martio campo utebantur [21]). Aliud suburbium, occidentem versus urbem con-

13) *δρυφάκτους* appellat Liban. p. 344.

14) V. Liban. p. 363. Ammian. Marc. XIV, 1, 9.

15) Ita censet etiam Gu. Ad. Becker. in Gallo T. I. p. 333 sq.

16) Liban. de ira Imp. p. 500.: *τὸ πολὺ καὶ μάταιον τοῦτο φῶς καὶ τρυφὴν ἄχρηστον δεικνύον, τὸ περὶ τῶν βαλανείων κρεμαμένον.*

17) Lamprid. Sever. Alex. 24. extr. Iustin. Cod. VIII, 12, 19.

18) V. maxime Liban. p. 342.

19) De hortis in montibus, qui intra Antiochiae moenia includebantur, Libanius p. 338. De hortis ad fluvium Id. p. 330. 339.

20) Liban. ad Theodos. or. sec. p. 674. *τὸ πρὸ ταύτης (τῆς νήσου) ᾠκισμένον χωρίον.*

21) Liban. ibid. p. 767. cf. Antioch. p. 340. Aphraates apud Theodoret. IV, 26. per viam Regiae septentrionem versus contiguam, *εἰς τὸ πολεμικὸν γυμνάσιον* tendit. Cf. Vales. p. 39. Hac parte erat Romanesia porta. *Εἰς κάμπον*

Digitized by Google

tinuabat, idque hominibus frequentissimum: quorum caussa Chuzo ille, quem diximus, ad Theodosium Augustum rettulit: moenia Antiochiae ambitu ita crevisse, ut multae aedes ad mille passus a muris distarent; cavendum, ne tanta oppidanorum multitudo hostium incursionibus indefensa proiiceretur. Placuit Imperatori, ut hoc urbis incrementum novo muro includeretur, qui extra Daphneticam portam [22]) circumductus a Philonauta porta ad Rhodiorum locum pertinebat [23]): quorum locorum hic, qui a rosis nomen traxit, ad montem in convalli quadam, ille, nisi appellatio a nautis ducta fallit, ad Orontem fluvium fuisse videtur. Etiam montis partem novus hic murus ambiebat, et ad Phyrminum usque torrentem extendebatur: quo loco cum antiquiori Tiberii muro coniunctus erat [24]). Huius muri Euagrius testatur, etiam suo tempore, id est exeunte sexto p. Chr. saeculo, superesse vestigia [24*]). Extructum autem eum puto a Theodosio post seditionem illam: quoniam Libanius, cum Theodosio propter urbem servatam gratias agit, eumque, ut eam maiore quodam augmento quasi suam faciat, hortatur, nulla opera ab Imperatore iam structa commemorat, nisi quod vetus palatium Daphnaeum recenti quasi oppressum et obscuratum dicit [25]). Non omittendum tamen Theodosium iam octavo imperii anno (p. Chr. 386.) ad Taurianam portam pontem in maiorem quam antea fuerat latitudinem exaedificasse, partemque adiectam tecto operuisse, et in vetere Urbe anti-

---

ἐν τῇ Ῥωμανησίᾳ πύλῃ, dicit Athanasius in colloq. Arrian. 1. T. II. Opp. ed. Colon. p. 27., Ioviauum imperatorem iturum fuisse, cum ab Arianis primum adiretur. Cf. Malalas p. 202. (85.), qui eandem Romanesiam portam commemorat.

22) Hoc sumptum ex Euagrio I, 20. et Nicephoro XIV, 50. Hi dubitant, hicne Theodosius au nepos eam urbis partem addiderit: illud verum esse, Malalae testimonio demonstratur.

23) Malal. p. 346. (16.) Philonautam portam Chilmeadus recte ex codd. lectione reposuisse videtur.

24) Malal. p. 346 sq. Quo etiam docemur, caementa ad huuc murum extruendum ab amphitheatro vetere (v. §. 2.) et aquaeductu Caesaris sumpta esse.

24*) Euagr. I, 20., et qui eius verba etiam hac in re reddit, Nicephor. XIV, 50.

25) Libanius p. 674. De hoc palatio v. supra §. 14.

Digitized by Google

quae basilicae minorem addidisse [26]). Denique reperio, Ellebichum eundem, qui post seditionem ad Theodosium missus est, ut pro Antiochenis deprecaretur, Antiochenis aedes et lavacrum extruxisse, quod, Libanius ait, in media Urbe situm per omnes portas circumquaque et senes et iuvenes quasi ad se traxisse [27]).

20. Theodosium minorem nescio quid commoverit, ut ad Antiochiam exornandam omnem lapidem moveret. Cum quisque fere Syriae consularis sponte operam daret, ut aliquod sui nominis monimentum Antiochiae relinqueret [1]): Theodosius tres deinceps (ut videtur) viros misit, qui Antiochiae praeessent, eamque novis operibus augerent. Memnonius ex his curiam quandam, Psephium dictam, struxit, cuius aedificii media erat aula sub divo relicta [2]). Alter Zoilus Basilicam aedificavit, quae a Rufini porticu meridiem versus sita erat, et Euagrii tempore etiamtum extabat, forma quidem multum mutata, sed servato nomine [3]). Tertius Callistus porticum extruxit ante tribunal, ex quo ius dicebatur [4]), e regione fori, in quo praetorium magistrorum militum (*τῶν στρατηγῶν*) erat [5]). Haec Euagrius: alia Malalas de operibus, quibus Theodosii ministri Antiochiam exornarunt. Anatolius, Magister militum in Oriente, magnam fieri curavit basilicam luminibus sive fenestris instructam (*διάφωτον*), omnique ornamentorum genere splendide excultam [6]). Sita ea erat e regione Athlorum, quod aedificium de praemiis ludorum dictum et cum Olympiis

26) Theophanes p. 48.

27) Liban. epist. ad Ellebichum 816. p. 383. Wolf. Ob eandem caussam Tatianus laudatur, epist. 1040. p. 488.

1) Valesius in Euagr. I, 18. p. 62.

2) Euagr. I, 18. Ex alio loco VI, 8. intelligitur, Psephium hoc in regione Brysiis fuisse. Ducangius Lex. med. Graec. s. v. ab opere musivo dictum putat.

3) Euagr. I, 18. Nescio an haec Zoili basilica diversa fuerit a Zenodoti basilica, quam Rufinianae vicinam fuisse, Malalas ostendit p. 397.

4) *πρὸ τῶν ἐδῶν ἃ τῇ δίκῃ ἱδρύεται*, dicit Euagr. I, 18.

5) V. de hoc Valesius in Euagr. p. 62. Narrat Theophanes p. 147. incendium, quod a Martyrio S. Stephani coepit, usque ad praetorium *τοῦ στρατηλάτου* progressum esse.

6) V. Malalas p. 360. Brevius eiusdem operis mentionem facit Euagr. I, 18.

Digitized by Google

coniunctum, a Xysto non longe afuisse existimaverim. Inscripserat Anatolius musivo opere ex auro: Ἔργον Θεοδοσίου βασιλέως, et in tecto collocaverat Theodosii et Valentiniani III. Imperatorum statuas. Iustiniano principe eadem basilica refecta est [7]) a Theodora Augusta, columnis a Constantinopoli missis. Nymphidius autem consularis Daphneticam portam aureis valvis exornavit [8]): ad exemplar puto Constantinopolitanae portae, quae aurea dicebatur [9]). Denique etiam Eudocia Augusta, quae ab eadem origine se natam praedicavit atque Antiochenos (Athenis enim orta erat) [10]), cum Antiochiam venisset atque aerea statua in Museo et aurea imagine in Curia posita ab Antiochenis culta esset, ad Antiochiae splendorem augendum et ipsa quaedam contulisse dicitur [11]).

21. Leonis regnum, praeter terrae motum (de quo diss. I. §. 5. dictum est) [1]) notabile est aede S. Simeonis martyris extructa. Hic Simeo Stylita, qui prior eo nomine appellatus est, cum anno p. Chr. 459. mortuus esset: corpus eius ex mandra, in qua vixerat, in Urbem illatum est, quod factum Leone principe, Ardaburio Magistro militum [2]). Ac primum eius corporis reliquiae depositae sunt in Cassiani, ut quidam tradunt, ecclesia, sed, ut alii rectius narrare videntur, in Magna ecclesia: cui oratorium adstruebatur huius martyris honori destinatum [3]). Posthaec (ipsum annum definitum non reperio) eodem in monte, in quo ultimam vitae partem transegerat, quem Euagrius ab Urbe trecentis fere stadiis distare et

---

7) Conditam esse dicit Malalas p. 423 (52), consueto errore.

8) Malalas p. 360 (23). cf. p. 272.

9) Sita erat in XII Regione Constantinopoleos (v. Descr. Urb. Constant.), et longissime aberat ab eo angulo, quo Constantinopolis in mare prominet.

10) Diss. I. §. 6.

11) Euagr. I, 20. Nicephor. XIV, 50. Chronicon Paschale p. 585. Bonn. (316. Par.).

1) A quo ut Urbs refici posset, Imperator multam pecuniam largitus esse dicitur. Malalas p. 369 (27).

2) Euagr. I, 13. Malalas p. 369.

3) Magnam ecclesiam dicit Cosmas in Vita Simeonis ap. Assemannum Bibl. Orient. T. I. p. 253., Cassiani Antonius in Act. Sanct. Ianuar. T. I. p. 268 sqq. Malalas p. 369 (27) μαρτύριον οἶκον μέγαν, ubi Soror Simeonis condita sit, Antiochiae extructum narrat: sed fortasse illam in monte Simeonis aedem intelligit.

Digitized by Google

viginti stadiorum ascensum habere ait [4]), templum Simeonis conditum est. Nunc dicitur hic mons *Dschebel-Semaan*, cuius ea in parte, qua aquilonem versus proiicitur arduoque cacumine Ifrinis fluvii convalli imminet, etiamnunc magnae reliquiae aedis Simeonis (*Kalaat-Semaan*) cum coenobio aliquo coniunctae conspiciuntur. Euagrius templum illud, quod modo *τέμενος*, modo *νεών*, modo *μάνδραν* appellat, formam crucis referre addit, in omni latere porticibus circumdatam, quarum tecta columnis pulcris ex lapide polito sustineantur. Mediam esse aulam sub divo, ubi columnam illam XL pedes altam positam esse, in qua Simeo vitam transegisse ferebatur. In porticibus sub tecto fenestras esse clathratas [5]), quibus media aula cum porticibus coniungeretur. Haec Euagrius, qui ipse eam aedem se vidisse testatur. Qui ex recentioribus peregrinatoribus has parietinas diligentissime descripserunt [6]), mediam ecclesiam octogonon esse scribunt, quattuor versus caeli regiones exteriori aede in crucis formam cinctam. Ac octogonon illud magnis ex pilis, quibus columnae adiectae et arcus impositi essent, constructum esse, tectum autem, quod in tholum fuisse fastigatum dicitur, concidisse scribit Richterus; at hoc, si Euagrio fides est, nunquam fuisse intelligitur. Exterior autem aedis versus orientem tria habet hemicyclia, quae aram maiorem duasque minores continuisse videntur; versus meridiem porticus quaedam, ut narthex, aedificii frontem ornat. Hemisphaeria concharum illarum, in quibus arae erant, et arcus narthecis non ineleganti opere facta sunt, et columnarum capitulis innituntur, quae, Richterus tradit, Corinthio modo esse ornata, sed pravo artificio sculpta, palmaeque fòliis pro acantho distincta. In zophoro palmae acanthique folia cum parvis denticulis sculpta sunt. Inferiori montis loco alterum coenobium Simeonis extat, pluribus tabulatis extructum atque fenestris fastigiisque conspicuum:

---

4) Euagr. I, 14. Nicephor. XIV, 51: cf. Diss. I, 7.: cf. Simon. Metaphrast. in Actis Sanct. Ian. T. I. p. 285.

5) *Κλειθρίδια* et *θυρίδας* eas dicit Euagr. I, 14.

6) Pocockius T. II. p. 170. qui etiam ichnographiam aedis in tabula addit, qua Euagrius egregie illustratur. Richter. *Wallfahrten in den Orient* p. 271. Poujoulat *Correspond. d' Orient* T. VII. p. 187. pauca de hoc delubro affert, eaque sola ex narratione Beroeensis hominis excepta.

Digitized by Google

sed et hoc ruina collapsum. Omnia haec magnis quadratisque saxis extructa sunt; lapidicinae, quae non multo spatio distant, ex quibus ea saxa excisa sunt, sepulcrorum vices sustinent. Subiectum est oppidum, ac multa circumquaque monimenta, sacella, aedes, quanta olim fuerit horum locorum reverentia, testantur. Distat hic locus ab Antiochia XIII, a Beroea plus VI horarum itinere [7]).

Sub Zenone, extremo eius principatus tempore, novum accessit ornamentum Daphnae, quam ex delubro Apollinis magis magisque in speciem oppidi mutatam esse, haec et alia ostendunt. Mammianus senator tum Daphnae Antiforum struxit [8]), in quo duae erant basilicae porticus, variis lapidum coloribus ornatae, mediumque inter eas Tetrapylum magnis columnis et aereo ornatu insigne, solumque Proconnesio marmore stratum [9]).

22. Ea quae secuntur tempora infesta et horrida reddiderunt Circenses Prasinorum tumultus [1]), intestina factionum bella [2]), Iudaeorum caedes [3]): tanquam clades ab hostibus [4]), et incendiis [5]) terraeque moti-

7) Haec ex Richteri verbis p. 279. 290. colliguntur: alii paulo aliter.

8) Aliud est antiforum Antiochiae, quo de v. supra §. 18. ann. 4. Quid eo vocabulo significetur, ex ipso vocabulo tantum divinari potest.

9) Haec non satis claris verbis expressa Niceph or. XVI, 23. Malalam de his aedificiis nihil memorare, miror.

1) Malalas p. 389. 392. 396 sq.

2) Malalas p. 422. Οἱ δῆμοι, ut Constantinopoli, factiones circenses appellantur.

3) Malalas p. 389. 396. Sub Zenone et Anastasio Iudaei a Prasinis caesi: sed imperante Phoca Hebraeorum fuit victoria, et Anastasius episcopus foedissima caede ab iis interemptus esse dicitur. Niceph or. XVIII, 44.

4) Hoc loco ἐν παρόδῳ memorare liceat, Antiochiam etiam ab hostibus plane incognitis, populo anonymo, infestatam esse, qui ex ultimis Caucasi rupibus prorupere, Syriam vastavere, Antiochiamque obsedere, ut ait Hieronym. ep. LX. T. I. p. 345. ed. Vallars. (qui annum 395. significat) et Claudian. Eutrop. II, 569.

5) De incendio, quod in Anastasii regnum indicit, v. supra §. 16. ann. 1. 2. Incendio sub Iustino, anno imp. VIII. ind. IV. (p. Chr. 526.), mense octobri, id est quinque mensibus post magnum illum terrae motum (v. diss. I, 5.), absumpta est ea urbis pars, quae a S. Stephani Martyrio usque ad Praetorium Magistri

Digitized by Google

bus [6]) imminentes hominum furori restinguendo non sufficerent. Post magnum illum terrae motum, quo urbs Iustino imperante anno p. Chr. 526. vastata est, Imperator misit, qui ut vitae necessitatibus primum provideretur, aquae ductus fluminisque pontes reficerent [7]): postea tota urbs restituta est ab Ephraemio, Comite Orientis, eodem qui post patriarcha Antiochiae factus est et cuius theologicorum operum excerpta habentur apud Photium (cod. 228. 229.). Iustinianus autem cum in societatem imperii venisset: Antiochiam et multa pecunia donavit expetita maxime a Zacharia, Ephraemii successore [8]), et variis ornavit aedificiis, Xenone, lavacris, cisternis [9]). Imprimis extrui iussit S. Mariae Virginis oratorium, e regione basilicae Rufini, et prope illud aliam aedem sacram, SS. Cosmae et Damiano dicatam [10]). Etiam Theodora regina, praeter Anatolii basilicam refectam, Michaelis Archangeli aedem condidit [11]).

militum pertinet (quam occiduam magnamque urbis partem dicere videtur Marcellin. Com. Chron. ap. Sirmond. T. II. p. 381.). Malal. 417. Theophanes p. 117.

6) v. diss. I. §. 5. Euphrasium episcopum hoc terrae motu sub Obelisco Circi obrutum et sepultum esse, narrat Marcellin. Com. ap. Sirmond. T. II. p. 381. Cf. Malal. p. 433 (52).

7) Malal. p. 421 (51). Fortasse ex eo tempore superest pons egregio opere structus, ei angulo urbis, qui fluvio imminet, proximus, de quo praeter alios dixit Kinner. p. 152., et qui in tabula conspicitur apud Cassas. III.

8) Malalas p. 422. 424.

9) Malalas p. 423 (52).

10) Malalas p. 423 (52). De eodem Procop. de aedif. Iustin. II, 10. p. 241. ed. Bonn. (46 Par.), qui id *μέγα ἱερὸν* appellat, *οὗ δὴ τό τε κάλλος καὶ τὸ ἐς ἅπαντα μεγαλοπρεπὲς ἐπελθεῖν λόγῳ ἀμήχανον*. Ecclesiam S. Mariae a Theopolitis Iustiniani aedem dictam scribit Euagr. V, 21. Ex terrae motu ann. 657. huius *Θεοτόκου* aedis mediam tantum stoam servatam esse, narrat idem Euagr. VI, 8. Martis templum eodem loco vel prope eam fuisse, affertur ex geographis Arabibus, a Ios. Hammero, in Encyclop. Halensi T. IV. p. 312. cf. Otter. Itin. T. I. p. 82.

11) Malalas p. 423 (52). Eandem Procop. de aedif. II, 10. *νεὼν παμμεγέθη* dixit. Hic et Mariae Virginis et Michaëlis Arch. templum post terrae motum a. 528. a Iustiniano conditum scribit. Quodsi Malalam sequimur, tum refectum id

Digitized by Google

Sic Antiochia splendide resurgere videbatur, cum novo terrae motu, anno

---

esse statuamus oportet. Distinguendum videtur ab hoc aliud Michaelis Arch. templum, quod Daphnae fuit, incensum a Chosroë, Procop. bell. Pers. II, 11. p. 199., et tertium, quod Procop. l. l. diligenter ab hoc discernit, in vicinia Antiochiae situm, locis confragosis, quae ὁ Τρητὸς dibebantur (ut in Argolide), Euaridis opus.

Hac in annotatione breviter recensum quendam agamus templorum Christianorum, ut supra diss. I. §. 27. ann. 4. Graecanicorum. Memoratas invenimus in ipsa urbe 1. ecclesiam magnam, veterem illam et apostolicam (v. §. 15. 21.). 2. Deiparae aedem (ann. 10.). 3. S. Cosmae et Damiani aedem. 4. Cassiani aedem (v. §. 21. ann. 3. §. 22.), in qua Iustiniani toga regia, pretiosis lapillis distincta, suspensa est, Malal. p. 450 (64). 5. S. Ignatii templum, ex Tychaeo in hunc usum conversum (diss. I, 15.). 6. S. Stephani Protomartyris aedem (Act. Sanct. Maii T. V. p. 310.), in occidentali urbis parte (v. ann. 5.). 7. Leontii martyrium (v. §. 17. ann. 7.). 8. Michaelis archangeli templum, de quo diximus. In nova Urbe sitam fuisse dicunt ecclesiam illam, qua Paulinus Meletii tempore potiebatur (Socrat. III, 9.), Benedictini ad Athanas. T. II. p. 771.: nescio quo auctore nisi. Quae a recentioribus commemorantur, aedis S. Petri in colle quodam, et S. Ioannis rupe excisa (Quaresmius p. 914. Dapper. p. 149. aliique): earum in antiquis scriptoribus mentionem non repperi. In suburbiis erant 1. S. Iuliani templum a Persis non deletum (Procop. bell. Pers. II, 10. p. 196. Bonn.), cf. Vit. Sanct. Ian. T. I. p. 571. 2. S. Ioannis τοῦ Προδρόμου templum, quod consuéto more etiam baptisterii vices sustinebat, extra muros (Malalas p. 396.) in vico Tiberino (Nicephor. in Act. Sanct. Maii T. V. p. 308. 310. V. Simeon. e ms. Florentino, in eodem T. p. 412. 413.). 3. Babylae aedis trans Orontem (v. §. 15.). 4. Ecclesia Daphnensis, quam Iustinianus instauravit (Procop. de aedif. V, 9. p. 328. Bonn. cf. Vit. Marthae in Act. Sanct. Maii T. V. p. 409., eademque Acta Mart. T. II. p. 421.). 5. Babylae templum Daphnense (§. 15.). 6. Michaelis aedis Daphnensis, de qua modo dictum est. 7. Monasterium Simeonis in Monte Mirabili (Nicephor. in V. Simeonis, Act. Sanct. Maii T. V. p. 343.). Templum Marthae ubi fuerit, nescio: insigne illud triplici concha, quarum maxima orientem conversa alteram laeva, alteram dextra adiunctam habebat; has Isaurici fabri arcuatione (προϋποστολῇ) texerant. V. Vit. Marthae in Act. Sanct. T. V. p. 421.

Coemeteria nobis innotuerunt alterum ad Urbem extra portam Daphneticam: hic cum Ignatii, sub Traiano martyris, ossa ponerentur, Io. Chrysostomus

Digitized by Google

p. Chr. 528.[12]), ea quae modo instaurabantur aedificia cum muris et quibusdam aedibus sacris conquassata sunt: qua tum calamitate etiam Laodicea et Seleucia afflictae sunt. Imperator quidem et tributorum levatione et argenti non exiguo pondere misso civitatem deiectam erigere conatus est[13]); omnibusque modis etiam a Theodora allaboratum est, ut Antiochia splendori suo restitueretur. Tum cum novus seclorum ordo Antiochenis surgere videretur, etiam nomen mutatum est, et iubente, ut narratur, Simeone thaumaturgo (qui minor eius nominis stylita est) urbs pro Antiochia Theupolis dicta est[14]).

At infaustissima erant novi nominis auspicia. Nondum, credibile est, Antiochiam ab illa clade resurrexisse veteresque resumpsisse vires: cum alius et saevior terror eam invasit. Anno enim 538. p. Chr., duodecimo Principis Iustiniani[15]), Iunio mense, Chosroes (*Chosru Nushirvan*) Persarum rex Antiochiam oppugnare coepit, occupatisque arduis montis verticibus, in quibus saxum muris ipsis imminens oppugnatoribus pro castello et Helepoli quadam fuit[16]), urbem armata manu expugna-

---

orationem ad populum habuit, T. II. p. 592. ed. Montf. V. S. Hieronym. de script. eccles. c. 16. Act. Sanct. Febr. T. I. p. 33. cf. Euagr. IV, 35.: alterum Daphnense, ubi B. Thomas conditus est, in τάφῳ ξένων, Elephantone loco. V. Act. Sanct. Maii T. V. p. 412. cf. Euagr. IV, 35.

12) d. XXIX. Novembris, v. Dissert. I. §. 5. Quae de incendio narrat Chron. Edessen. apud Assemannum Bibl. Orient. I. p. 415., quod XV. d. Novembr. ann. 528. omnia consumpserit Antiochiae aedificia, quibus terrae motus pepercisset: ea nullo alio teste confirmantur.

13) Malalas p. 444 (61). Cedrenus p. 646. ed. Bonn. (368. Par.).

14) Malalas p. 443 (61), qui ex Actis Urbis refert, populum magna cum exultatione acclamasse huic novo nomini. Cf. Theophanes p. 121 b. Euagr. IV, 6. Nicephor. XIV, 34. Phocas in Act. Sanct. Maii T. V. p. 299. Cedrenus p. 646. Eustath. in Dionys. Per. 918. p. 282. Bernh. Stephan. Byz. v. Θεούπολις, qui cum aliis μετὰ τὸν σεισμὸν Antiochiam eo nomine dictam esse tradit. Iustiniani edictum, in Codice I, 1, 6., anno 533. datum, etiam Theopolitanis scriptum est.

15) Cedrenus p. 652. ed. Bonn. (371 Par.).

16) De hoc saxo Procop. de aedif. II, 10. p. 424. et de bello Persico II, 6. p. 178.:

Digitized by Google

vit [17]), eamque a militibus spoliatam incendio dedit. Una excepta est ecclesia Christianorum, quae magna dicitur: sed etiam haec magnis auri argentique opibus, ipsisque pretiosis marmoribus, quibus parietes vestiti erant, exuebatur [18]). Tantus enim pulcrarum aut nitentium saltem rerum in Chosroe erat amor, ut ingentem molem statuarum, tabularum, marmorum lapidumque pretiosorum secum ex urbe spoliata auferret [19]). Servata etiam aedificia circa Ceratacum, quod vocant, non hominum consilio, sed quod ampliore intervallo a reliquis urbis partibus disiungebantur [20]): ubi ea sita fuerint, ignoratur. Etiam muris flammas nihil nocuisse, prodit Procopius [21]). Ipsorum oppidanorum magnam partem Chosroes ex imperio Romano abduxit, et in novam Antiochiam, quam in Assyria unius diei itinere a Ctesiphonte dissitam condebat, transtulit [22]).

23. In hac horrenda urbis omniumque eius fortunarum strage id quidem commodum evenerat, quod nihil supererat, quod prohiberet, quominus Imperator urbi ex ruderibus suscitandae eam formam assignaret, quam tempora et situs locorum tum poscere videbantur. Nulla enim supererant publicae porticus, nulla atria peristyla, nulla fora; quid quod, cum ne angiportus quidem dignoscerentur, cives qui supererant vix aream, qua

---

ubi Germanum id prudenter observasse eique rei provisum esse narrat, sed aliud placuisse architectis, et c. 8. p. 188.

17) Procop. bell. Pers. II, 8. (ap. Photium p. 25. ed. Bekker.), cf. bell. Goth. IV, 7. p. 490. Bonn. Theophanes p. 147 c. Malalas p. 479. 480 (77). Euagrius IV, 25. (ex Procopio). Nicephor. Vit. Simeon. iun. Act. Sanct. Mai. V. p. 330. Chron. Edessen. p. 416. ap. Assemann. Abulpharagius p. 94. Mentio captae Antiochiae est etiam apud Menandrum p. 347. 423. ed. Bonn. Ex recentioribus v. maxime Gibbo T. IV. p. 245.

18) Procop. bell. Pers. II, 10. p. 195 Bonn.

19) Io. Laur. Lydus de magistr. III, 54. p. 247. Bonn.

20) Procop. bell. Pers. l. l.

21) Procop. II, 10. p. 196.

22) Procop. II, 14. p. 214. Theophylactus p. 216. ed. Bonn. Ex scriptoribus orientalibus quaedam de hac Antiochia affert De Sacy *Mémoires sur les antiquités de Perse* (1793) p. 366.

Digitized by Google

domus suae antea stetissent, reperire poterant [1]). Hinc factum, ut Iustinianus, cum Syriam in ditionem recepisset, aliam plane urbem ex ruina surgere iuberet, quam quae ceciderat. Urbs, quae et in montem versus et in campo ad fluvium multo latius patuerat, quam pro incolarum multitudine bellis et calamitatibus iam valde attenuata, ita ut intra muros vasti campi sine aedificiis relicti essent, nunc in angustiorem ambitum contracta est. De quo quae Procopius tradidit cum plane conveniant cum moenium forma, quae cruciatorum militum tempore ac magnam partem etiamnunc superest, atque ii qui supersunt muri structurae genere Byzantiorum imperatorum tempora manifesto prodant: scriptorum testimonia monimentorum specie illustrabimus. Ac primum, urbis ambitum maxime contractum esse, Procopius ait, in plana et campestri parte [2]); hinc factum est, ut Orontes, qui antea urbem hac parte longo ambitu circumdabat [3]), uno tantum angulo ubi porta ad pontem erat, moenia tangeret, versus orientem autem longius inde recederet. Affirmat quidem Procopius, etiamtum Orontem muros Antiochiae valide defendisse, sed intelligit, quod verba eius aperte significant [4]), fossam satis latam et altam, qua Orontis aquarum pars ex alveo fluminis secundum muros deducta pontibusque nonnullis constrata inferiore loco flumini reddebatur. Huius canalis nec nunc vestigia superesse videntur, neque in cruciatarum expeditionum historiis mentio fit, ut fluvium mox naturalem cursum repetiisse existimem: quae enim fossa sacris illis militibus ad occidentale oppidi latus, prope S. Georgii portam, obiecta erat, ea non ex Oronte, sed fontibus quibusdam ac rivulis alebatur, nec Procopii descriptioni convenit. Versus meridiem autem, qua muri antea magnam montis partem complexi erant, nunc a rupibus praeruptisque saxis removebantur: quanquam Procopius quod dicit, colles omnes qui intra Iustiniani muros relicti fuissent, ita fuisse exaequatos, ut etiam equis et curribus com-

1) V. Procop. de aedif. II, 10. p. 240. 241 (48).

2) Procop. de aedif. II, 10. p. 238 (47). Πέργους ἐν πεδίῳ, dicit Euagr. VI, 8.

3) Procop. l. l., qui sibi constat, cum de bell. Pers. II, 6. p. 178. Orontem eo tempore plane urbis loca omnia alluisse et ab hostibus tuta praestitisse dicit.

4) Procop. l. l. ὀχεταγωγίᾳ τὸν ῥοῦν ὡς ἀγχοτάτω περιελίξας.

Digitized by Google

sed et hoc ruina collapsum. Omnia haec magnis quadratisque saxis extructa sunt; lapidicinae, quae non multo spatio distant, ex quibus ea saxa excisa sunt, sepulcrorum vices sustinent. Subiectum est oppidum, ac multa circumquaque monimenta, sacella, aedes, quanta olim fuerit horum locorum reverentia, testantur. Distat hic locus ab Antiochia XIII, a Beroea plus VI horarum itinere [7]).

Sub Zenone, extremo eius principatus tempore, novum accessit ornamentum Daphnae, quam ex delubro Apollinis magis magisque in speciem oppidi mutatam esse, haec et alia ostendunt. Mammianus senator tum Daphnae Antiforum struxit [8]), in quo duae erant basilicae porticus, variis lapidum coloribus ornatae, mediumque inter eas Tetrapylum magnis columnis et aereo ornatu insigne, solumque Proconnesio marmore stratum [9]).

22. Ea quae secuntur tempora infesta et horrida reddiderunt Circenses Prasinorum tumultus [1]), intestina factionum bella [2]), Iudaeorum caedes [3]): tanquam clades ab hostibus [4]), et incendiis [5]) terraeque moti-

---

7) Haec ex Richteri verbis p. 279. 290. colliguntur: alii paulo aliter.

8) Aliud est antiforum Antiochiae, quo de v. supra §. 18. ann. 4. Quid eo vocabulo significetur, ex ipso vocabulo tantum divinari potest.

9) Haec non satis claris verbis expressa Niceph or. XVI, 23. Malalam de his aedificiis nihil memorare, miror.

1) Malalas p. 389. 392. 396 sq.

2) Malalas p. 422. Οἱ δῆμοι, ut Constantinopoli, factiones circenses appellantur.

3) Malalas p. 389. 396. Sub Zenone et Anastasio Iudaei a Prasinis caesi: sed imperante Phoca Hebraeorum fuit victoria, et Anastasius episcopus foedissima caede ab iis interemptus esse dicitur. Niceph or. XVIII, 44.

4) Hoc loco ἐν παρόδῳ memorare liceat, Antiochiam etiam ab hostibus plane incognitis, populo anonymo, infestatam esse, qui ex ultimis Caucasi rupibus prorupere, Syriam vastavere, Antiochiamque obsedere, ut ait Hieronym. ep. LX. T. I. p. 345. ed. Vallars. (qui annum 395. significat) et Claudian. Eutrop. II, 569.

5) De incendio, quod in Anastasii regnum indicit, v. supra §. 16. ann. 1. 2. Incendio sub Iustino, anno imp. VIII. ind. IV. (p. Chr. 526.), mense octobri, id est quinque mensibus post magnum illum terrae motum (v. diss. I, 5.), absumpta est ea urbis pars, quae a S. Stephani Martyrio usque ad Praetorium Magistri

Digitized by Google

bus [6]) imminentes hominum furori restinguendo non sufficerent. Post magnum illum terrae motum, quo urbs Iustino imperante anno p. Chr. 526. vastata est, Imperator misit, qui ut vitae necessitatibus primum provideretur, aquae ductus fluminisque pontes reficerent [7]): postea tota urbs restituta est ab Ephraemio, Comite Orientis, eodem qui post patriarcha Antiochiae factus est et cuius theologicorum operum excerpta habentur apud Photium (cod. 228. 229.). Iustinianus autem cum in societatem imperii venisset: Antiochiam et multa pecunia donavit expetita maxime a Zacharia, Ephraemii successore [8]), et variis ornavit aedificiis, Xenone, lavacris, cisternis [9]). Imprimis extrui iussit S. Mariae Virginis oratorium, e regione basilicae Rufini, et prope illud aliam aedem sacram, SS. Cosmae et Damiano dicatam [10]). Etiam Theodora regina, praeter Anatolii basilicam refectam, Michaelis Archangeli aedem condidit [11]).

militum pertinet (quam occiduam magnamque urbis partem dicere videtur Marcellin. Com. Chron. ap. Sirmond. T. II. p. 381.). Malal. 417. Theophanes p. 117.

6) v. diss. I. §. 5. Euphrasium episcopum hoc terrae motu sub Obelisco Circi obrutum et sepultum esse, narrat Marcellin. Com. ap. Sirmond. T. II. p. 381. Cf. Malal. p. 433 (52).

7) Malal. p. 421 (51). Fortasse ex eo tempore superest pons egregio opere structus, ei angulo urbis, qui fluvio imminet, proximus, de quo praeter alios dixit Kinner. p. 152., et qui in tabula conspicitur apud Cassas. III.

8) Malalas p. 422. 424.

9) Malalas p. 423 (52).

10) Malalas p. 423 (52). De eodem Procop. de aedif. Iustin. II, 10. p. 241. ed. Bonn. (46 Par.), qui id *μέγα ἱερὸν* appellat, *οὗ δὴ τό τε κάλλος καὶ τὸ ἐς ἅπαντα μεγαλοπρεπὲς ἐπελθεῖν λόγῳ ἀμήχανον.* Ecclesiam S. Mariae a Theopolitis Iustiniani aedem dictam scribit Euagr. V, 21. Ex terrae motu ann. 657. huius *Θεοτόκου* aedis mediam tantum stoam servatam esse, narrat idem Euagr. VI, 8. Martis templum eodem loco vel prope eam fuisse, affertur ex geographis Arabibus, a Ios. Hammero, in Encyclop. Halensi T. IV. p. 312. cf. Otter. Itin. T. I. p. 82.

11) Malalas p. 423 (52). Eandem Procop. de aedif. II, 10. *νεὼν παμμεγέθη* dixit. Hic et Mariae Virginis et Michaëlis Arch. templum post terrae motum a. 528. a Iustiniano conditum scribit. Quodsi Malalam sequimur, tum refectum id

p. Chr. 528.[12]), ea quae modo instaurabantur aedificia cum muris et quibusdam aedibus sacris conquassata sunt: qua tum calamitate etiam Laodicea et Seleucia afflictae sunt. Imperator quidem et tributorum levatione et argenti non exiguo pondere misso civitatem deiectam erigere conatus est[13]); omnibusque modis etiam a Theodora allaboratum est, ut Antiochia splendori suo restitueretur. Tum cum novus seclorum ordo Antiochenis surgere videretur, etiam nomen mutatum est, et iubente, ut narratur, Simeone thaumaturgo (qui minor eius nominis stylita est) urbs pro Antiochia Theupolis dicta est[14]).

At infaustissima erant novi nominis auspicia. Nondum, credibile est, Antiochiam ab illa clade resurrexisse veteresque resumpsisse vires: cum alius et saevior terror eam invasit. Anno enim 538. p. Chr., duodecimo Principis Iustiniani[15]), Iunio mense, Chosroes (*Chosru Nushirvan*) Persarum rex Antiochiam oppugnare coepit, occupatisque arduis montis verticibus, in quibus saxum muris ipsis imminens oppugnatoribus pro castello et Helepoli quadam fuit[16]), urbem armata manu expugna-

---

orationem ad populum habuit, T. II. p. 592. ed. Montf. V. S. Hieronym. de script. eccles. c. 16. Act. Sanct. Febr. T. I. p. 33. cf. Euagr. IV, 35.: alterum Daphnense, ubi B. Thomas conditus est, in τάφῳ ξένων, Elephantone loco. V. Act. Sanct. Maii T. V. p. 412. cf. Euagr. IV, 35.

12) d. XXIX. Novembris, v. Dissert. I. §. 5. Quae de incendio narrat Chron. Edessen. apud Assemannum Bibl. Orient. I. p. 415., quod XV. d. Novembr. ann. 528. omnia consumpserit Antiochiae aedificia, quibus terrae motus pepercisset: ea nullo alio teste confirmantur.

13) Malalas p. 444 (61). Cedrenus p. 646. ed. Bonn. (368. Par.).

14) Malalas p. 443 (61), qui ex Actis Urbis refert, populum magna cum exultatione acclamasse huic novo nomini. Cf. Theophanes p. 121 b. Euagr. IV, 6. Nicephor. XIV, 34. Phocas in Act. Sanct. Maii T. V. p. 299. Cedrenus p. 646. Eustath. in Dionys. Per. 918. p. 282. Bernh. Stephan. Byz. v. Θεούπολις, qui cum aliis *μετὰ τὸν σεισμὸν* Antiochiam eo nomine dictam esse tradit. Iustiniani edictum, in Codice I, 1, 6., anno 533. datum, etiam Theopolitanis scriptum est.

15) Cedrenus p. 652. ed. Bonn. (371 Par.).

16) De hoc saxo Procop. de aedif. II, 10. p. 424. et de bello Persico II, 6. p. 178.:

Digitized by Google

vit [17]), eamque a militibus spoliatam incendio dedit. Una excepta est ecclesia Christianorum, quae magna dicitur: sed etiam haec magnis auri argentique opibus, ipsisque pretiosis marmoribus, quibus parietes vestiti erant, exuebatur [18]). Tantus enim pulcrarum aut nitentium saltem rerum in Chosroe erat amor, ut ingentem molem statuarum, tabularum, marmorum lapidumque pretiosorum secum ex urbe spoliata auferret [19]). Servata etiam aedificia circa Cerataeum, quod vocant, non hominum consilio, sed quod ampliore intervallo a reliquis urbis partibus disiungebantur [20]): ubi ea sita fuerint, ignoratur. Etiam muris flammas nihil nocuisse, prodit Procopius [21]). Ipsorum oppidanorum magnam partem Chosroes ex imperio Romano abduxit, et in novam Antiochiam, quam in Assyria unius diei itinere a Ctesiphonte dissitam condebat, transtulit [22]).

23. In hac horrenda urbis omniumque eius fortunarum strage id quidem commodum evenerat, quod nihil supererat, quod prohiberet, quominus Imperator urbi ex ruderibus suscitandae eam formam assignaret, quam tempora et situs locorum tum poscere videbantur. Nulla enim supererant publicae porticus, nulla atria peristyla, nulla fora; quid quod, cum ne angiportus quidem dignoscerentur, cives qui supererant vix aream, qua

---

ubi Germanum id prudenter observasse eique rei provisum esse narrat, sed aliud placuisse architectis, et c. 8. p. 188.

17) Procop. bell. Pers. II, 8. (ap. Photium p. 25. ed. Bekker.), cf. bell. Goth. IV, 7. p. 490. Bonn. Theophanes p. 147 c. Malalas p. 479. 480 (77). Euagrius IV, 25. (ex Procopio). Niceph or. Vit. Simeon. jun. Act. Sanct. Mai. V. p. 330. Chron. Edessen. p. 416. ap. Assemann. Abulpharagius p. 94. Mentio captae Antiochiae est etiam apud Menandrum p. 347. 423. ed. Bonn. Ex recentioribus v. maxime Gibbo T. IV. p. 245.

18) Procop. bell. Pers. II, 10. p. 195 Bonn.

19) Io. Laur. Lydus de magistr. III, 54. p. 247. Bonn.

20) Procop. bell. Pers. l. l.

21) Procop. II, 10. p. 196.

22) Procop. II, 14. p. 214. Theophylactus p. 216. ed. Bonn. Ex scriptoribus orientalibus quaedam de hac Antiochia affert De Sacy *Mémoires sur les antiquités de Perse* (1793) p. 366.

Digitized by Google

domus suae antea stetissent, reperire poterant [1]). Hinc factum, ut Iustinianus, cum Syriam in ditionem recepisset, aliam plane urbem ex ruina surgere iuberet, quam quae ceciderat. Urbs, quae et in montem versus et in campo ad fluvium multo latius patuerat, quam pro incolarum multitudine bellis et calamitatibus iam valde attenuata, ita ut intra muros vasti campi sine aedificiis relicti essent, nunc in angustiorem ambitum contracta est. De quo quae Procopius tradidit cum plane conveniant cum moenium forma, quae cruciatorum militum tempore ac magnam partem etiamnunc superest, atque ii qui supersunt muri structurae genere Byzantiorum imperatorum tempora manifesto prodant: scriptorum testimonia monimentorum specie illustrabimus. Ac primum, urbis ambitum maxime contractum esse, Procopius ait, in plana et campestri parte [2]); hinc factum est, ut Orontes, qui antea urbem hac parte longo ambitu circumdabat [3]), uno tantum angulo ubi porta ad pontem erat, moenia tangeret, versus orientem autem longius inde recederet. Affirmat quidem Procopius, etiamtum Orontem muros Antiochiae valide defendisse, sed intelligit, quod verba eius aperte significant [4]), fossam satis latam et altam, qua Orontis aquarum pars ex alveo fluminis secundum muros deducta pontibusque nonnullis constrata inferiore loco flumini reddebatur. Huius canalis nec nunc vestigia superesse videntur, neque in cruciatarum expeditionum historiis mentio fit, ut fluvium mox naturalem cursum repetiisse existimem: quae enim fossa sacris illis militibus ad occidentale oppidi latus, prope S. Georgii portam, obiecta erat, ea non ex Oronte, sed fontibus quibusdam ac rivulis alebatur, nec Procopii descriptioni convenit. Versus meridiem autem, qua muri antea magnam montis partem complexi erant, nunc a rupibus praeruptisque saxis removebantur: quanquam Procopius quod dicit, colles omnes qui intra Iustiniani muros relicti fuissent, ita fuisse exaequatos, ut etiam equis et curribus com-

---

1) V. Procop. de aedif. II, 10. p. 240. 241 (48).

2) Procop. de aedif. II, 10. p. 238 (47). Πύργους ἐν πεδίῳ, dicit Euagr. VI, 8.

3) Procop. l. l., qui sibi constat, cum de bell. Pers. II, 6. p. 178. Orontem eo tempore plane urbis loca omnia alluisse et ab hostibus tuta praestitisse dicit.

4) Procop. l. l. ὀχεταγωγίᾳ τὸν ῥοῦν ὡς ἀγχοτάτω περιελίξας.

mode adiri possent, dubito an adulatorie magis quam vere dictum sit [5]): nam supersunt etiam nunc intra muros scopuli satis ardui et praecipites [6]). Neque aliter fieri poterat, cum muri ii etiam cruciatarum expeditionum tempore Arcem in alto colle sitam comprehenderent: ac mirantur etiamnunc peregrinantes audaciam, qua ii muri per acclivia et declivia deducti angustas convalles quasi transscendere et voraginibus subiectis imminere videntur [7]). Torrens ille, qui inter duos montes decurrit [8]), ne moenibus noceret, magno muro ante moenia obiecto excipiebatur: quocum angusta inter eos montes convallis clauderetur, aqua in stagnum colligebatur, ex quo per foramina (*θυρίδας*) et canales (*ὀχεταγωγίας*) in urbem intromittebatur [9]). Hic murus etiamnunc extat, sexaginta fere pedes supra aquas collectas altus, admirabile opus: dicitur nunc porta ferri (*Bab-haddid*), quod ita interpretantur, ut arcus muro subiectus olim ferreis clathris clausus fuisse dicatur [10]). Haec de meridionali ac contrario urbis latere, sed etiam versus orientem et occidentem sic contracta est, ut cum antea XXXVI stadia in longitudinem pateret, nunc tribus fere millibus passuum comprehenderetur [11]).

---

5) Procop. p. 239.

6) V. ex. gr. Corancez p. 117. Richter. p. 281.

7) V. maxime eam horum murorum partem, quam adumbravit Cassas in tabulis 7. 9. 10.

8) V. diss. I. §. 3. ann. 9.

9) Procop. de aedif. II, 10. p. 240 (48).

10) Pocock. T. II. p. 190. Niebuhr. Itin. T. III. p. 15. 16. Poujoulat. p. 114., qui se ab Arce versus orientem eum murum conspexisse testatur. Eundem, ut videtur, voragini superstratum duosque montes iungentem aquaeductus vice fungi narrat Corancez p. 118.: sed Poujoulat p. 112. eum aquaeductum, quo torrens superatur, versus leuconotum (*sud-ouest*) se vidisse affirmat. Tabulis descripta est ea porta ferri apud Pocock. ad p. 190. Cassas tb. 9.

11) Haec Kinneir p. 151., qui latitudinem urbis unius vel sesquialteri M. P., et ambitum X vel XII M. P. indicat. Abulfeda p. 115. et *Gihan-Numa* p. 342. XII M. P. exhibent. Mirifice XLVIII M. P. ambitum Antiochiae assignat Ewlia Arabs adductus a Ios. Hammero Encyclop. Halensi T. IV. p. 312. Willermus Tyr. IV, 10. longitudinem esse ait II vel III M. P., M. Sanuti III, 5, 4. III leucarum. Diligentissime Niebuhrius Itiner. T. III. p. 15. a porta S. Pauli in

Digitized by Google

Murorum crassitudo ea esse dicitur, ut quadrigae in iis vehi possint [12]). Muris turres adiectae sunt, quas CCCLX numero esse, sunt qui narrent [13]). Nec muri nec turrium eadem ubique magnitudo et structura; versus septentrionem, qua Orontes ad muros accedit, horum altitudo non plus quam XXV vel XXX pedum esse dicitur: meridiem versus muri admirabili opere ad LXX et LXXX pedes adscendere [14]) turresque multis tabulatis attolli dicuntur. Muris turribusque passim pro interiori pariete porticus adiectae erant, quarum etiamnunc supersunt aliquot columnae, pyrrhopoecilo saxo excisae [15]). Ac per omnes muros turresque traditur in summa superficie iter fuisse, turribus cum muro scalarum ope coniunctis [15*]). Fabrorum opus non in omnibus idem est: in iis, quae versus Eurum eminent, cum saxis quadratis etiam laterum ordines coniuncti sunt, ut saepe in Romanis eius aetatis operibus factum est [15**]). Portae in eo murorum ambitu septem esse dicuntur, quinque maiores [16]): quas ab antiquioribus, etiamsi iisdem regionibus positae erant, aliquantum distare necesse est, quanquam Malalas sive Domninus,

oriente ad portam olearum (*Bab Seitûn*) versus leuconotum (S. W.) circiter 11000 pedes sive 2300 duplices passus esse affirmat, mediam autem latitudinem indicat 950 dupl. passuum.

12) V. Dapper. T. I. p. 119. De la Roque T. I. p. 204. Corancez p. 117. Sex septemve pedes crassos esse scribit Kinneir p. 152.

13) Ita *Gihan-Numa* p. 342. Dapper. CCCCLXX turres fuisse dicit. Poujoulat p. 117. LII turres etiamnunc esse servatas dicit, olim fuisse CXXX.

14) Poujoulat p. 106. 111. In nimium extollit murorum altitudinem scriptor in Gest. Franc. Bongarsii T. I. p. 565.

15) Poujoulat p. 116., qui id porticuum genus in turri prope portam S. Pauli et in occidentali muro se repperisse dicit.

15*) Cotovic. p. 449.

15**) Kinneir p. 152. Conspicitur hoc mixtum opus etiam apud Cassas tb. 7.

16) Ita *Gihan-Numa* p. 343. Maiores dicit, quae a cruciatis militibus celebrantur, porta S. Georgii (versus occidentem), p. Pontis et Ducis (versus septentrionem), p. Canis et S. Pauli (versus orientem). Quae versus meridiem reperiuntur portae, porta olearum (*Bab-Zetoun*) ad Leuconotum (*sud-ouest*) aliaque altius sita, et tertia in colle orientali (Poujoulat, p. 111. 116.), minores sunt, nec cruciatarum expeditionum annalibus memorantur. Quae portae novam Antiochiam attingunt, eae omnium maxime dirutae sunt. V. Niebuhr. Itin. T. III. p. 15.

Digitized by Google

ubi de suis temporibus loquitur, interdum iisdem, quibus veteres, nominibus utitur [17]). Ac licebat, cum muri etiam a Chosroe non diruti essent, portarum ornamentis in redintegranda urbe commode uti. Forma eius portae, qua Beroeam itur, quae S. Pauli (*Bab-Boulos*, ab Arabibus porta Medinae) dicitur, arcu semicirculari conspicua, qui supra epistylium sive supercilium forium attollitur [18]), simillima est veteris Constantinopoleos portis, quarum reliquiae etiamnunc conspiciuntur [19]). Operum publicorum, quibus interior urbs instructa est, insignia maxime fuerunt templa Deiparae virginis et Michaelis archangeli (nam magna ecclesia a Persis non deleta erat), et Xenon, aegris utriusque sexus destinatus [20]): sed etiam porticus, fora, aquaeductus, cisternas, lavacra, aquae in montibus receptacula tum refecta esse constat [21]). Denique urbem totam, Procopius ait, ingentibus

17) Sunt eae portae, versus occidentem: 1. porta Cherubim, quae Malalae tempore superfuisse videtur (v. supra §. 6. cf. 4.). 2. Daphnetica sive aurea porta, quae nescio eademne, an paulo altius sita fuerit (§. 8. 20.), quae Malala teste p. 360. *καλεῖται ἕως τῆς νῦν ἡ χρυσέα πόρτα.* 3. porta Philonauta, in Theodosii muris (§. 19. ann. 23.). Versus septentrionem: 4. Romanesia porta (§. 19. ann. 21.). 5. Tauriana sive Lunae (§. 6.) porta, ad Orontem (§. 19.), eadem fortasse, quae nunc Pontis porta dicitur. Versus orientem: 6. porta, in qua Tiberius lupam posuit (§. 6.). Versus meridiem: 7. media porta, ad Martii templum, qua Phyrminus descendit (v. §. 4. ann. 8. §. 8. ann. 4.). Porta S. Iuliani (ad aedem Iuliani puto, supra §. 22. ann. 11. memoratam) Malalas p. 420 (51), ubi sita fuerit, non indicat. Neque notior *ἡ πύλη τῆς πόλεως ἐπὶ τὸ λεγόμενον Τρίπυλον* commemorata a Theophane p. 36.

18) V. Cassas pl. 5. 6. Eam portam laudibus cumulat etiam Poujoulat, p. 110., qui eam plus XXX pedes altam, XII latam esse affirmat.

19) Velut porta aurea Cpoleos apud com. Caseolinum (*Choiseul Gouffier*, *Voyage pittoresque*) T. II. tb. 8. 9.

20) Procop. de aedif. II, 10. p. 241 (48).

21) Procop. II, 10. p. 239 (47) et 241 (48). Illo loco commemorantur lavacra in montibus, ut ab antiquioribus, diss. I, 29. Quae Procop. dicit *ὑδάτων ταμιεῖα ἐν τοῖς ὄρεσι*: ex his unum superest, magna piscina orbiculari forma, 120 pedum diametro, prope Arcem, quam Niebuhr. Itin. T. III. p 17. Poujoulat p. 112. aliique commemorant. Etiam altera piscina ad S. Pauli portam a multis describitur peregrinatoribus.

Digitized by Google

saxis esse constratam [22]). Splendidissima autem platea erat, quam recentiores plerique commemorant, candido marmore constratam, inde ab orientali (S. Pauli) porta occidentem versus horae fere itinere ad oppidulum illud, quod nunc Antiochiae nomen servat, porrectam [23]). Quam, si locorum situm consideraveris, aut plane in magnam illam plateam Epiphaniae urbis incidere, aut non longe ab ea distare existimabis. Etiam theatra novae urbi reddita esse scribit Procopius, quanquam idem Princeps superioribus imperii annis Antiochenis propter turbas in ludis spectandis ortas theatri usum interdixerat [24]). Quod autem Procopius dicit [25]), urbem ex ea clade et firmiorem et ornatiorem surrexisse, quam antea fuerit, huius sententiae priorem quidem partem veram esse non negamus, alteram, si Antiochiam comparamus, qualis Theodosii tempore etiamtum fuerat, adulandi magis quam veritatis studio imputabimus.

24. Ab hoc inde tempore cum Antiochia sive Theupolis neque novis aedificiis unquam crevisse videatur, sed ingravescente temporum necessitate sensim ad eam tenuitatem et inopiam, qua nunc opressa est, decrevisse, neque ea historiae luce illustretur, ut vel singulorum aedificiorum vel universi oppidi conditionem persequi liceat [1]): summa rerum capita quam brevissime indicare satis habebo.

Antiochiam, constat, sub Heraclio imperio Romano amissam esse, cum a Saracenis novo tum animorum instinctu excitatis cum universa Syria

---

22) λίθοις ἁμαξιαίοις, Procop. II, 10. p. 241.

23) V. maxime Dapper., qui Monkonysii testimonio utitur, De la Valle p. 129. Richter. p. 281.

24) Malal. p. 448. 449 (63). Idem p. 467. theatrum cereis incensum esse narrat. Quod autem p. 471. dicit, θέατρον ἐχρημάτισε, ita intelligo, ut ludos scenicos tum denuo commissos esse putem.

25) de aedif. II, 10. p. 238 (47) et 241 (49).

1) Simeonis junioris in monte Mirabili monasterium quanquam a nullo scriptore describitur, tamen cum vivo saxo excisum fuisse dicatur cum columna, quae media in eo erat, etiamnunc investigari et cognosci poterit. V. Phocas in Vit. Sanct. Maii T. V. p. 300.

Digitized by Google

occuparetur (a. 635.) [2]), sed receptam esse imperante Nicephoro Phoca a Michaele Burza et Petro eunucho (a. 969.) [3]), postquam vires urbis *ἐπιτειχίσει* ab imperatore instituta fractae erant [4]). Tum quoque, sicut olim a Persis, urbs a summa murorum parte expugnata est, quod Christiani, qui proditionem callide moliti erant, custodiam eorum murorum dereliquerant [5]). Laudatur etiam his temporibus Antiochia propter murorum altitudinem et pulcritudinem, incolarum multitudinem, admirabilem domuum structuram [6]): sed insignia aedificia publica non commemorantur. Romanos, Arabicus rerum scriptor narrat, in monte urbis Arcem extruxisse, eodem puto loco quo iam antiqua fuit acropolis, Moslemitarum autem maximum fanum suile fecisse, posthac tamen patriarcham eodem loco hortum habuisse [7]). Caeterum, cum ea urbs quarto demum saeculo, postquam

---

2) De hac re v. Gibbo T. V. p. 325. Eandem spectat Georg. Pachymeres de Andron. Palaeol. I, 32. p. 86. Bonn., qui olim Babylonis Sultanem dicit Antiochiam cepisse *καὶ εἰς ἔδαφος κατερεῖψαι.*

3) V. imprimis Leo Diacon. Hist. V, 4. p. 81. ed. Bonn. cum annot. Hasii p. 450. 492. et excerptis ex Abulfaragii Chronico Syriaco p. 382., Abulfedae Annal. Moslem. p. 387., Cemaleddini Annalibus Halebensibus p. 390., quae Lassenius in ed. Bonn. adiecit, Glycas p. 571. Bonn. (307. c. Par.), Cedren. p. 656. 657. ed. Par. Constantinus autem Manasses v. 5666. p. 241. Bonn. tempus expugnatae Antiochiae non recte definit.

4) Capellum quomodo extructum sit, narrat Leo Diacon. IV, 11. p. 73., locum non diligenter indicat, ut solent scriptores eorum temporum in locis notandis negligentissime versari. Cf. Cemaleddin. p. 390.

5) V. Cemaleddin. p. 391. et Abulpharagius p. 382. Ille narrat, omnes Moslemitas, qui ad portam Aldjenan (hortum) dictam pervenire studebant, in Romanorum manus incidisse, eos autem servatos esse, qui portam maris aperuerant.

6) Leo Diacon. p. 73. *τρίτη τῶν περὶ τὴν οἰκουμένην τελοῦσα πόλεων τῷ τε κάλλει καὶ τῷ μεγέθει τῶν περιβόλων. . ἔτι δὲ πλήθει τοῦ δήμου καὶ τῶν οἰκιῶν ἀμηχάνοις κατασκευαῖς.*

7) Cemaleddin. p. 391. 392. — Acriter exoptandum et flagitandum esse videtur, ut ex Vaticana bibliotheca in publicum promatur Zeineddini Arabis topographica et Alexandriae et Antiochiae descriptio, quae inest codici mspto CCLXXXVI., de quo v. Maius, Script. Vet. nova Coll. V. IV. p. 446.

Digitized by Google

a Saracenis occupata erat, recepta sit, facile intelligitur qui factum sit, ut nulla posthaec memoria eorum fanorum, quae Christiani Sanctis et Martyribus suis olim condiderant, reperiatur, sed novi et ab illis diversi Divi in vacuam sedem introducerentur; S. Paulus, S. Petrus, S. Georgius, qui a cruciatarum expeditionum militibus commemorantur [8]). Videntur eo tempore etiam sacraria illa vivo saxo excisa esse, quae recentiores commemorant [8*]). Sub ditione autem Graecorum imperatorum Antiochia mansit usque ad prima Comnenorum imperatorum tempora, quibus a Seldjukis capta est (p. Chr. 1084.), quattuordecim annis post (1098. p. Chr.) in Francorum potestatem ventura, qui eam partim libero regno, partim Graecorum imperatorum maiestatem quodammodo colentes [9]), tenuere: donec a. 1268. Aegyptii, tum Caucasiorum servorum viribus valde aucti [10]), eam ceperunt et diruerunt: quorum regnum quomodo cesserit in magnum Osmanorum imperium, referre nihil attinet. His sub dominis, nemo facile mirabitur, quod ea Urbs, quae etiam sub Francorum imperio incolis satis frequens opibusque valida erat [11]), mox eo inopiae redacta

8) Cf. §. 22. ann. 11. et 23. ann. 16. In S. Petri aede sacra illa lancea inventa esse fertur. S. Pauli aedis Cotovici temporibus supererat conchae hemicyclum, Itin. p. 497.

8*) V. inprimis Cotovic. p. 499.

9) In enarrandis Comnenorum cum principibus Antiochiae ipsaque Antiochenorum civitate de regno litibus et discidiis multus est Cinnamus. Hic commemorat Arcem Antiochiae a Renaldo principe Manueli imperatori traditam, IV, 18. p. 181. Bonn. (103. Par.), et *βασίλειον αὐλήν*, IV, 20. p. 185 (107), de qua cf. §. 14. Quod Nicetas Choniata p. 36. Bonn. (18. Par.) *τὴν καλλίπολιν Ἀντιόχειαν, ἣν διεισιν Ὀρόντης καὶ περιβομβεῖ Ζέφυρος ἄνεμος*, dicit, id Ioannis Comneni temporibus non plane convenit, sed ex rhetorum scholis sumptum est.

10) *θαρσήσαντες ταῖς ἐκ τῶν Σκυθῶν συστάσεσι δυνάμεσιν*, dixit Georg. Pachymeres de Mich. Palaeol. III, 4. p. 179. Bonn. (119. Par.), cum Mamlucos significat.

11) Phocas Monachus, qui a. p. C. 1185. haec loca vidit, tempus et barbaras manus antiquum splendorem delevisse dicit, sed etiam tum Antiochiam *περιαστράπτειν πυργώμασιν, ἐπάλξεσίν τε ἰσχύϊ, εὐανθίᾳ λειμώνων καὶ περισχιζομένων ὑδάτων κελαρυσμοῖς*. Act. Sanct. Maii T. V. p. 299.


sit [12]), ut nunc eorum murorum quos Iustinianus condidit, unum tantum angulum versus Caurum (NW.) situm impleat, et horae itinere opus sit, ut a porta orientali ad miserum illud oppidulum, quod nunc *Anteaki* audit, pervenias [13]). Forsitan nostra aetas, postquam Turcarum ille satrapa, qui Aegyptum loco Regis obtinet, Syriam provinciam ditioni suae subiunxit, novam rerum conditionem etiam his terris praeparet, quam mercatoribus fructuosiorem peregrinatoribusque commodiorem fore, facile est augurari, populis autem an non laetior futura sit, licebit dubitare.

12) *Καὶ νῦν κεῖται ἡ περιφανὴς* Ἀντιόχεια, dicit G. Pachimeres p. 179 (119). Iam sub annum p. Chr. 1432. Antiochia CCC tantum aedes habebat, ab exiguo Turcomannorum et Arabum numero habitatas. V. Bertrandon de la Brocquière *Voyage d'outremer. Mém. de l'Institut National.* T. V. p. 422.

13) Id testantur Richter. *Wallfahrten* p. 281. et alii.

Digitized by Google

TAB. A.



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google